
POLITICA ARISTOTELIS
Continuis aphorismis
ab Erycio Puteano
genuine exhibita
Dantisci sumptibus Georgii Försteri 1646.
Cum Privilegio S.R.M. Poloniæ et Svec.
Iustitia Polit.
Systema Pol.
Polit

ERICI PUTEANI BAMELRODI CIVILIS DOCTRINÆ LINEÆ,

QVIBUS
ARISTOTELIS
POLITICORUM
LIBRI TRES PRIMI,
Ad perpetuos reducti APHORISMOS, Latinè, breviter, ac dilucidè repræsentantur.

Alibi RIVI, *hîc* FONTES.

DANTISCI,
Sumptibus GEORGI FÖRSTERI
M. DC. XLVI.

Cum Privilegio S. R. M. Poloniæ & Sveciæ.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO,

DOMINO STANISLAO DE BUZENIN PSTROKONSKI EPISCOPO CHELMENSI, Præposito Plocensi &c. &c. Domino ac Patrono colendissimo.

Lineas aliqvot tibi fero, ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME Domine, non qvæ tui splendoris radios augeant, sed qvæ à TE Illustrißimo, lumen habeant. Neq; verò alteri præterquam tibi eas dedicandas censui, cujus

cujus animus, jam inde ab ipsà iuventa, Matheseos studio sacer audit, habetq; id cum Principibus commune, ut se astris inserat: quæ ut liberiori acie contempleris Puteanum-puteum penè dixissem, tibi affero. Lineas hic videbis, & Rectas, qvibus Civis regatur, & sphæricas, qvæ orbis mores complectantur. Duxit hîc optimus Author, magnis scriptoribus, sin minus superior, sane par, boni Civis lineas (ut cui nulla dies sine linea) habiturus maximum sui laboris præmium si Tuis manibus volvetur. Nempè Tu Illustrissime Domine Reipublicæ Polonæ, civis, aut verius, pater es, cui jus

jus prudentia reliqvos regat, Sapientia judicat, Sanctitas provehat. Celsitudo deniq; in sui admirationem rapiat, & qvod libri hujus facies habet, de Virtute Tua Illustrissime Domine meliori modo dictum arbitror Alibi rivi hic Fontes, *Plures tibi velut fonti acceptum referunt qvod etiamnum sua felicitate affluant. Imo & ipse Regni manipulus Tuis consiliis irrigatus, Suæ aliqvid integritatis Tibi debet. Atq; ut Fons suâ semper viget immortalitate, ita ut & Tu perennes atq; in hunc Puteum Tuum derives affectum omnibus precor votis.*

tis. Vive Illustrißime Domine, Patriæ, Civibus, Tuisque Diutissimus, Felicissimus, Sanctissimus & Vale.

Illustrissimæ ac Reverendissimæ Celsitudini Tuæ Devotissimus Cliens.

Georgius Försterus.

PLUTARCHUS

CATONE MAJORE,

Τῆς Πολιτικῆς ἄνθρωπος ἀρετῆς οὐ κτᾶται τελειοτέραν. Virtute Politicâ nullum homo præſtantiorem poſsidet.

AD CIVEM ET VIRUM BONUM.

NOvum hoc ſcribendi genus, an ab Eloqventiâ abeat, neſcio; ad Sapientiam accedit. LINEÆ imò APHORISMI ſunt: ſed illius Doctrinæ, qvæ Rempublicam continet; & ab illo ſumptæ, qvi unus perenni Scriptorum laticè oſtendere potuit, qvid ſit ſapere, & cum laude in

Republicâ versari. Frustrà Schola, nisi huc ducat: ego autem, ut benè de Iuventute mererer, viam, nulli hactenus tentatam, ingressus sum, & qvicquid Philosophus Tribus his quidem Primis libris diceret, Latinâ luce, quasi amœnitate, perfudi. Quis vetat, pleni laboris conatum à parte operis sumi? Sed si hæc imago placet, totum mox Aristotelem transformabo. Hujus propè unius

fuit,

fuit, ſcire òmnia, vel pauciſſima ignorare: ſcire Rempublicam, ordinare, regere. Sic leges condas, ſic ex æqvo & bono ſtatuas, ſic pacem colas, bellum geras, officia boni Viri & Civis exprimas. Sed inter eos omnes qui de Republicâ ſcripsêre, nemo aptior Scholæ, nemo utilior juventuti, ſi intelligatur. Intelligetur autem (niſi fallor) APHORISMIS iſtis, qui totam hanc doctrinam ſine nube

aut nebulâ repræſentant: ſenſu juncti, & tamen ſeparati. Singuli, tanquam flores carpi poſſunt,& ſententiæ loco eſſe: interim nec orationis ſeriem fractam aut divulſam eſſe,nexus perpetuus oſtendit. Quot membra, tot corpora ſunt: & corpus unum orationis plura membra, in continuum compacta ſenſum, continet. Sed quod ego breviter & ſuccinctè,id Divino Vir ingenio DANIEL HEINSIUS,

ævi ſui eruditionem elegantiæ famâ ſupergreſſus, copiosè ac facundè. Vnus etiam ille potuit, qvod nullus. Nam postqvàm Paraphraſten Ariſtotelis in Ethicis feliciſſimè vertiſſet, in Politicis Paraphraſten pari ipſe laude egit, veram Philoſophi mentem admirabili Svadæ felicitate explicans. Non aliud igitur induſtriæ hîc meæ relictum erat, niſi ut novam ſtili tentarem operam, & ſolis expri-

primerem LINEIS Doctrinæ Politicæ imaginem, ubi jam colores erant. Paraphrastes cùm à Brevitate recederet, plenam Auctori lucem attulit: ego cùm à copia, hoc inprimis egi, ut effugerem obscuritatem. Geminâ hac ratione Stagirites noster, qvi pulcherrimus erat, facilis esse potuit, qvi omnia doceret, ab omnibus intelligi, qvi negligi cœperat, ad usum revocari. Pre-

tio

tio metimur omnia: ſed æſtimari Ariſtoteles deſiit, poſtquàm noſtro maluimus ingenio Philoſophari, nomine magis, qvàm doctrinâ tanti Viri retentâ. Inter omnia verò, qvæ divinâ magis qvàm humanâ manu ſcripſit, nihil minùs in manu, qvàm qvod utiliſſimum eſt: & tanqvàm nihil vel ad Scholam, vel ad Rempublicam Politica facerent, ſolis in Logicis hodie, Phyſicis, aut Meta-

Metaphyſicis ſudatur. Theſaurum malo, quàm ſupellectilem: ſed nos paſſim ſupellectilem doctrinæ à Philoſopho ſumimus; theſauros ejus vix libamus. Nimirum ſcimus ſupellectilem, neſcimus theſauros eſſe. Quia igitur in Scholâ plerique Rempublicam non diſcunt, in Republica habere Scholam incipiunt, & ad neglecta, imò ad contempta ſtudia redire. Nonnulli, tanquàm ſatis

in

in usu præsidii sit, malas ingenii artes occupant, & versutiam scientiæ loco habent, cavillationem doctrinæ. Scilicet dolis ac fallaciis uti, pulchrum est, & aliquid, si Dîs placet, Tiberiani Genii adumbrare. Pulchrum est, *aliud clausum in pectore*, ut cum Sallustio dicam, *aliud in linguâ promptum habere, amicitias inimicitiasq; non ex re, sed ex commodo æstimare; magisq; vultum,*

tum, qvàm ingenium bonum habere. Nonnulli hæc qvoque ad scriptionem vitia referunt: qvasi Docti aut Politici, si & rudem calamum simulatione imbuant; si, qvod sæpius jam scriptum est, scribant. Sed hi profectò tam à FONTIBUS alieni sunt, ut tanquàm ranæ circa paludes strepant: tam ab Aristotele, ut nesciant propemodùm, an & Politica ille scripserit. Vt Docti suſti-

ſtineas nomen, multis artibus opus eſt; ut Politici, non unâ virtute. VIRUM & CIVEM BONUM tibi propone, doctrinâ inſtructum, Reipublicæ peritum, qvi Patriæ magis qvàm ſuis commodis intentus, non qvod utile, ſed qvod honeſtum eſt ſectatur. Nobis ſatis fuit, Veteres contemplari: ſatis, qvicquid ab Ariſtotele dictum eſt, Breviſſimis LINEIS ad APHORISMOS

MOS ducere, aliquid etiam, si modum scribendi spectes, novi præstare. Hoc autem qvod damus, auspicium est: Tres jam libri, & in specimen producti; qvorum primus fundamenta Civitatis, & Familiæ rationem continet; Secundus Respublicas præcipuas, antiquitus sive Descriptas, sive Institutas; Tertius Monarchiæ & Aristocratiæ explicationem. Cogita, quisquis CIVIS & VIR BO-

NUS

NUS es, Prælectiones has qvasdam meas, ſed Politicas eſſe: LINEAS eſſe, qvibus inter docendum & dicendum Eloqventiæ & Hiſtoriæ colores accedant. Salve, & reliquos Libros, ſi hi qvidem placent, exſpecta.

INDEX

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI.

LIBRI SECUNDI.

LIBRI

LIBRI TERTII.

ERYCI PUTEANI
BAMELRODI
CIVILIS DOCTRINÆ LINEÆ,
QVIBUS
ARISTOTELIS POLITICORUM
LIBER PRIMUS,
Ad Perpetuos reductus APHORISMOS, *repræsentatur.*

PRÆFATIUNCULA.

NOBILISSIMUM doctrinæ argumentum à Republicâ ſumitur; qvod cùm omnibus familiare ſit, uni potiſſimùm notum fuit, virorum, ſi ingenium ſpectamus,

mus, summo; si doctrinam, perfecto. Aristoteles est, & hoc satis, ut laudetur. Hunc scire & intelligere, erit Politicum esse: qvod unum hodiè nomen æstimatur. Agam nunc verò Prælectionibus publicis, ut sciri & intelligi qveat, compendio utilis, ordine facilis, lumine clarus. Quemadmodum vitro colliguntur rerum imagines, & in minorem formam eunt: ita universa hæc doctrina rerum ubertate diffusa, brevibus LINEIS, & velut circulis claudetur; perpetuos ad usum tam Scholæ, qvàm Aulæ APHORISMOS datura, qvi totam tamen Philosophi mentem, & sine nube, exprimant. Qvid rivos seqveris? Hi FONTES sunt, non amœni tantùm, ut oblectari possis; sed utiles, ut erudiri atque imbui. Accede & hauri: qvod pulcher-

cherrimum est, facile jam invenies qvod optimum, ingenio & elegantiâ suâ instructum. Breviter, capies Scriptorem, à qvo, defectu lingvæ, & Schola hactenus, & Aula abhorruit.

LIBER PRIMUS.
Argumentum.

ELEMENTA *Doctrinæ Politicæ velut à naturâ insita. Societas Civilis, tanqvàm summum bonum. Civilis à Domesticâ oritur. Domestica viri & uxoris est, domini & servi, patris & filii. Hæc qvia domo continetur, privata est: junge domos, vicus nascetur, domorū qvasi domus: junge vicos, civitas existet, partibus suis perfectior nobiliorque; qvippe publica, & tanquàm completum naturæ opus. Stare verò absq; subsidio fortunarum nulla*

societas potest. Hæ acqvirendæ sunt: Sed modus & ratio partim à naturâ, partim ab industria & arte est; partim honesta, partim inhonesta; partim privata, qvæ Domum auget; partim publica, qvæ Civitatem. Regimine qvoque, sive imperio velut fulcro opus: qvod nisi adsit, Societas corruit. Imperii caussæ naturales qvoque sunt, ac naturaliter maritus uxorem Politico imperio habet, pater filium Regio, herus servum Tyrannico, sive violento; licet à violento natura abhorreat. Publica autem gubernandi ratio has pariter formas Politicam, Regiam, Tyrannicam accepit.

CAPUT I.

Societas Civilis: ejus finis, & partes.

CUm ad bonum omnia, vel ad speciem boni dirigantur, etiam boni caussâ Societas omnis constituta est.

Nulla

Nulla præſtantior, qvàm qvæ publica eſt, & ſummum bonum continet: hæc autem Civitas, ſive Civilis Societas appellatur.

Aliud autem eſt Civitatem, aliud Domum ac Familiam regere; licet Civitas, magna qvædam Familia; Familia, parva Civitas videatur.

Alius etiam Dominus cenſendus, alius Paterfamilias, alius Rex; licet omnes imperent.

Dominus qvidem, uni, vel paucis, Paterfamilias pluribus, Rex multis

Sed diverſum in paucos, in plures, in plurimos imperium eſt.

PRIMA igitur Societas Familia eſt, pars & origo Civitatis.

Prima, & viro ac muliere conſtat, domino ac ſervo.

Viri & mulieris conjunctionem natura generationis cauſsâ eſſe voluit: domini ac ſervi, utilitas.

Hinc

Hinc ſanè & vir mulierem appetit, & mulier virum; tanquàm alter ſine altero eſſe non poſſit.

Id qvoque tam animantibus, qvám ſtirpibus inſitum; ut qvale unumqvodque eſt, tale alterum, & ſui ſimile relinquat.

Deinde, ita à naturâ homo factus; ut ſi mente excellat, imperio; ſi corpore, obſequio deſtinetur.

Qvâ qvidem ratione, herus ſervo, qvia imperat; & ſervus hero, qvia paret, utilis eſt.

Mariti igitur & domini, imperium eſt; uxoris & ſervi, obſequium.

Aliter tamen maritus imperat, aliter dominus; aliter uxor obſequitur, aliter ſervus, ut aliud eſſe uxorem ſcias, aliud ſervum.

Sane opulenta natura eſt, & ad finem unum non multa, ſed ſingula refert: ſervum in uſum domini, mulierem in uſum viri.

Vile putes, qvicquid cum Gladiō Delphico comparatur: qvicquid enim non uni deseruit rei, tanquám Gladius Delphicus est.

Barbarum qvoque putes, servi loco feminam esse; contubernio magis, qvàm matrimonio conjungi.

Fœmina matrimonium facit; servus contubernium: compone utrumque, Familiam habes.

Hesiodus rectè:

Sit domus imprimis, uxôrque, & taurus arator.

Ejusdem Familiæ sunt, qvi usu vitæ qvotidiano eundem Larem colunt, Charondæ ὁμοσίπυοι, *ejusdem cibi*, Epimenidi Cretensi ὁμόκαπνοι, *ejusdem foci*, vel *fumi*.

SECUNDA Societas Vicus est, plurium domorum collectio, & familiarum, ducente naturâ, colonia.

Qvi sic juncti, Lare disjuncti sunt,

ſunt, nomine ὁμογάλακτοι, ſive *Collactanei.*

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Familiæ qvoque exemplo regi Civitates ab uno olim ſolitæ, & poſteà Gentes: qvippe è familiis, civitates conſtitutæ ſunt.

Qvia enim unus in familia pater, unum in cognatione caput; unus deinde in civitate Rex erat. Imó Pater tanqvàm Rex, Rex tanquàm Pater.

Diſperſi ſic olim Mortales, Homero teſte, vivebant.

——— Qviſque gubernat
Vxorem jure ac gnatos.

Etiam popularis opinio Diis immortalibus Patrem atque Regem unum dedit, ut & in cœlo familia, imò regnum videretur.

Homines ſanè, ut pulcherrimos

Deos

Deos facerent, humanâ formâ censuerunt: ut antiqvissimos, humanâ pariter, sed primigeniâ vivendi ratione.

Voluerunt vel ipsi qvodam modo Diis similes esse, vel Deos sibi.

CAPUT II.

Civitatem naturâ consistere: & naturâ hominem animal esse Civile.

PErfecta demum Societas, Civitas est, è pluribus Vicis constituta.

Fit illa qvidem vitæ caussâ, & indigentiâ cogente; sed ipsa beatæ interim vitæ caussa est.

Civitatem à naturâ esse, Domus ipsa & Vici indicant: à naturâ sunt.

Homo qvoque animal naturâ Civile est: improbus, aut certè major homine, qui ingenio ac in dole,

non casu ac fortunâ Civilis non est.
Qvi Homeri verbis:
Jure, domoque, tribuq; caret.
Inter animalia verò omnia solus á naturâ (qvæ nihil frustrà facit) sermonem homo accepit.
Cæteris qvidem vox data, qvasi muta qvædam loqvela; ut, qvia molestum atque jucundum sentiunt, significent qvoque.
Illius est, qvod utile & inutile, & hinc verò qvod justum, & injustum, complecti ratione, verbis & oratione explicare.
Naturâ etiam Civitas prior est, origine Domus.
Pars enim Civitatis Domus est; & qvi agit, licet à partibus ordiatur, priùs tamen cogitat de toto, finem rei & perfectionem spectans.
Jam verò sublatâ Civitate ne Domus quidem erit, ac desinemus singuli

guli: ut ſublato corpore, manus qvoque interit, niſi jam mortuam, velimus manum ὁμωνύμως appellare.

Qvisque noſtrum in Civitate, ut in corpore, manus eſt: ſubſiſtimus & floremus cum toto, perimus aut laboramus.

Si qvis verò, ſive immanitate indolis, ſive fortunarum fiduciâ, Civilem ſocietatem fugit, aut belua, aut Deus eſt.

Homines igitur niſi à nomine ſuo, imò à naturâ ipsâ alieni ſint, Societatem iſtam appetunt, magno ſanè bono & jnventam, & conſtititutam.

Nònne magnum, nònne bonum dixero, lege mortales & jure contineri? hæc Civitas, ſive Civilis Societas eſt.

Legem & jus tolle, Civitas non erit

erit; tolle Civitatem, jus non erit: optimum naturâ animal, deterrimum licentiâ evadet.

Erras, si nuditatem objicis homini: mente & ingenio armatus est, & sic nascitur: tantò brutis impurior immaniorq́;, si in vitia inclinat, qvantò malitia ratione instructa validior.

Venere etiam aut ventre abripi & mergi facilè est, cùm Virtutem voluptas pepulit, & sibi qvisque relictus est.

Qvid attinet dicere? Civili Societate opus, ut homo tandem homo sit; imò Iustitiâ opus, qvæ virtus maximè civilis est.

A Justitiâ autem Judicia sunt, felicitatis velut munimenta; qvæ leges opponunt moribus, & Cives legibus obnoxios reddunt.

CAPUT III.

Familia, ejusq; partes: præcipuè Dominus, & Servus. An hic naturâ?

CIvitatis partes Familiæ ſunt; Familiarum Servi Liberiq;.

Diſtinctiùs: Dominus & Servus, Vir & Uxor, Pater & Liberi Familiam, ſive Domum faciunt: ad Familiam autem Ratio rei familiaris, ſive pecuniæ qværendæ.

Forma Herilis prima eſt, & Dominum Servumq; ſpectat: qvam nihil ab Oeconomicâ differre Plato cenſuit, imagine Reipublicæ, & Regni.

Alii, omninò contra naturam, atq; adeò injuſtè inſtitutam.

Sed ſi res familiaris & poſſeſſio pars domûs eſt; etiam ars ſive ſcientia, qvâ res familiaris augetur, domeſticæ rationis pars eſt.

Non

Non poteſt enim ſine re familiari benè beateq; vita inſtitui, ac ne inſtitui qvidem.

Ut verò omnium artium: ita & vivendi, atq; benè beateq; vivendi inſtrumenta ſunt: proreta animatum, clavus inanimum.

Hoc qvidem diſcrimine res familiaris qvot membra & partes habet, in tot inſtrumenta diviſa eſt: ſed reliqua inanima ſunt, ſervus animatum, & qvaſi ante omnia.

Animato opus, ut inanima moveantur. Neque enim omnia vel Dædali ſigna, atq; αὐτόματα ſunt, vel Vulcani tripodes, ad Sacrum agonem, ut Homero placet, ſponte ſuâ euntes.

Inſtrumenta verò alia efficiunt aliqvid, & propriè inſtrumenta ſunt; ut radius, & ſecuris; alia agunt, & uſum duntaxat habent, ut tela, & menſa.

Qvæ Oeconomica ſunt, agunt, non efficiunt; cùm vita ipſa actio duntaxat, non effectio ſit: ſed ſervus, eorum qvæ agunt, non qvæ efficiunt, miniſter eſt.

Servus autem domini eſt, qvia membrum & pars rei familiaris: domini, non tantùm comparatione & nomine, ſed naturâ & proprietate.

Dominus igitur ſervi dominus eſt, ſervi non eſt: ſervus & domini ſervus eſt, & domini.

Et qvis eſt ſervus? qvi cùm homo ſit, naturâ tamen non eſt ſuus, aut ſui juris.

Suus autem non eſt, qvi in poteſtate alterius eſt, & poſſidetur, membrum & pars rei familiaris; imò verò inſtrumentum, agens quidem, ſed qvod ſeparari ab utente poteſt.

Sed an naturâ, & juſtè qvis ſit ſervus, explicandum eſt.

Natura qvidem alia imperio, alia obseqvio, utilitatis caussâ, destinavit.

Præstantius imperium est, qvod in meliora exercetur: præstantius in hominem, qvàm in belluam; & ab homine regi, qvam à belluâ melius est: nempe à meliori.

Qvid? Ubicumq; unum aliqvid & commune est, qvod tamen constat è pluribus, sive conjunctis, sive disjunctis, imperium obseqviumq; invenias.

Conjuncta homo exhibet, qvi è corpore & animo constat, & unus est.

Disjuncta, grex vel legio, ex ovibus vel militibus composita.

In iis qvæ vitâ carent, imperium obseqviumq; velut concentus est.

Sed in homine, si rectè is quidem affectus, animus ipse naturâ imperat, corpus paret. Sin

Sin pravè, corpus contra naturam imperat, animus paret: corrumpi enim natura debet, ut munia ejus confundantur.

Homo igitur omnem imperii formam, veluti pulcherrimo exemplo repræsentat: Herilem, Civilem, Regiam.

Herilem, qvâ animus corpus tenet; Civilem & Regiam, qvâ mens cupiditatem.

Vtile verò est corpori, si naturam seqvimur, ab animo regi: & cupiditati, à mente atque ratione.

Bruta vide: mansueta feris præstantiora sunt, & his rursus homo. Regi igitur ab homine debent: hoc enim est ratione regi.

In sexu qvoque mas muliere præstantior est: ideoq; ille imperio, hæc obseqvio à naturâ destinati.

Homines igitur omnes sic se habent

bent qvoque: non pari indole à naturâ facti, ut alii aliorum imperio obnoxii sint.

Qvi eò depressi, ut qvantum corpus animo, belluaq; homine inferior est, infra hominem ipsi jaceant nati ad obsequium videntur.

Corpore magis qvàm ingenio qvi homines sunt, servi sunt; qvia nullum nisi corporis usum præstant. Hos parére æqvum est, regere nesciunt.

Naturâ sic qvidem servus est, qvi alterius esse potest: servus, qvi imperium tanqvàm utile sibi patitur: qvi sic à naturâ factus est, ut existimet utile id sibi esse.

Aliqvid hominis habet, ut sic dicam, aliqvid bruti. Intelligit enim jussa imperantis & seqvitur; cùm solis bruta perturbationibus serviant.

Qvæ

Qvæ ſumma eſt, Rationis beneficio ſervus bruto diſſimilis eſt, corporis uſu qvodammodò ſimilis. Impendit corpus roburq; imperanti brutum, & ſervit; impendit ſervus, & conditionem bruti exprimit.

Ut ſimilis eſſet, imò ut ſervus eſſet, natura ſervo robur dedit; at libero animum, illum erectum, & vitæ civili aptum utilemq;, paci & bello: qvæ duo vitæ Civilis, munia & partes ſunt.

Non raròtamen in ſervis liberorum corpus eſt, in liberis ſervorum ingenium.

Et qvidni eximia corporis forma æſtimetur? digna imperio haberi ſolet, digna Diis.

Deorum namq; ſimulacra, auguſtâ, & humanâ ſpecie majora ſunt; ut vel corpore majeſtatem ſuam numen inveniat.

Sed si corpori hæc prærogativa conceditur; qvæ non animo? pulchritudo ejus, ut difficilius cernitur; ita excellentior est, & plus divini, qvàm humani habet:

Hinc profectò intelligimus hominum aliqvos naturâ servos esse, aliquos liberos: benè & justè cum illis agi, qvi cùm servituti nati sint, sub alieno imperio vivunt.

CAPUT IV.

Qvomodò & à naturâ, & à lege Servitus.

SIQVI sunt, qvi nullam à naturâ servitutem putant, malè putant: sin aliquam non esse, benè.

Etenim naturâ alii servi sunt, alii lege. Lex autem nonnisi pactum est, & pactum jus est, qvo bello capti in potestatē capientis veniunt.

Sed qvid? insurgunt ex Juris-

con-

consultis nonnulli, & jus illud iniqvum censent, qvia violentiã constitutum.

Contrà, Philosophis violentia ista justa est, & qvædam qvasi virtus viribus instructa: qvæ si vincere possit, possit & vim inferre.

Vincit enim, qvi præstantior est: & vim patitur, qvi jure videtur succumbere.

De hoc jure autem controversia est; qvod alii benevolentiâ definiunt, qvasi subesse non recuset, qvi cogitur: alii potentiâ, tanquàm ratio svadeat, potiorem & potentiorem infirmiori imperare.

Jurisconsultorum ratio infirma est, injustam servitutem esse: Philosophorum absoluta non est, justam esse.

Fieri enim potest, injustam belli caussam esse; qvomodò injustè serviet

nũ ex bono generari: quod ſemper affectat natura, licet non efficiat.

Hinc liquet, alios naturâ ſervos, alios liberos eſſe.

Jtem, manifeſta qvibusdam à naturâ ineſſe ſigna, qvæ veluti monſtrent, unius intereſſe ut ſerviat, alterius ut imperet.

Denique, à naturâ imperium obſequiumq́ꝫ conſtitui, dominum & ſervum; ut ſit qvi regat, ſit qvi pareat, & qvemadmodùm utrique expedit.

Qvod autem uni expedit, etiam alteri; idem toti & parti, corpori & animo: ſicuti ſervus pars domini eſt & pars animata corporis; ſejuncta tamen.

Unde inter dominum & ſervum amicitia & mutua qvædam utilitas eſt; ſi naturâ qvidem dominus ad imperiũ, ſervus ad obſequium venit;

viet, qvi captus est: deinde capi & vendi hominem, qvi ad libertatem natus est; qvomodò etiam nobilissimi in servitutem rapientur.

Hos igitur non servos, sed barbaros appellant; & sic qvod designant, dicunt.

Qvis enim barbarus? rudis tardiq́ ingenii. Qvis? servituti natus.

Ut hæc se habent, & servi, & nobiles qvidam ubique censentur, qvidam nusquam. Græci ubique, Barbari verò apud suos tantùm.

Qvasi simpliciter aliqui naturâ ad libertatem & nobilitatem facti sint, aliqui non sint, sed sub conditione.

Verùm qvid hoc aliud est, qvàm virtute & vitio, servum & liberum, nobilem & ignobilem definire?

Volunt enim, ut ex homine homo, ex belluâ bellua nascitur; bonum

nit: ſin lege & vi, ſervus non eſt ſervus.

Hinc manifeſtum eſt, Herile imperium à Civili, & reliqua inter ſe diſtingui.

Civile in eos exercetur, qvi naturâ liberi ſunt: Herile in eos, qvi naturâ ſervi.

Præterea, Domeſticum unius eſt, & imaginem Monarchiæ habet; omnis enim ab uno domus regitur. Civile in liberos, atque etiam in pares eſt.

Dominus verò non ſcientià dominus eſt, ſed conditione: ſic nec ſervus, nec liber, niſi conditione.

Eſt tamen & Herilis & Servilis aliqva ſcientia: Servilis, qvæ & doceri poteſt, ut rectè miniſtrandi, obſonandi, & qvæ hujus notæ; aliæ honeſtiores, aliæ viliores: Herilis verò, rectè utendi ſervis.

Domi-

Dominus item non possessione servorum, sed usu dominus est.

Hęc qvidem scientia à qvęstuaria distincta est, & nihil habet magni. Satis enim est, dominum rectè injungere, qvæ rectè servum oporteat exseqvi.

Excelsi verò animi est, minutioribus molestiis non distringi; sed translatâ in dispensatorem curâ, Reipublicæ negotiis, vel sapientię studiis occupari.

CAPUT V.

Res familiaris, & ratio acqvirendi naturalis: vivendi modus, veræ divitiæ.

SERVUS sic quidem rei familiaris pars est: ut rei acqvirendæ scientia aliqva, qvæ χρηματιστική, sive *Qvæstuaria* appellatur.

Sed hæc an eadem cum Oeconomi-

nomica? pars ejus, an adminiſtra? Jtem, ſi adminiſtra, an tanqvàm inſtrumenta præbeat? an verò tanqvàm materiam?

Radius textori inſtrumentum eſt, lana materia. Radii verò conficiendi ut ars qvædam eſt, ſic & lanæ.

Opes à Qvæſtuaria, tanqvàm arte qvâdam pendent: ſi ut inſtrumentum, radium puta; ſi ut materia, lanam.

Non eſt igitur eadem cum Oeconomica: parat enim altera, qvibus utendum eſt; utitur altera, qvæ jam parata. Uti autem, & parare diverſa ſunt.

An igitur pars, ut totum reſpiciat? an ſpecies aliqva diverſa?

Etenim, modum qvo parentur opes, invenire, Qvæſtuariæ eſt: Opes autem, cùm non unius ſint generis, conſiderandæ ſunt.

Con-

Conſideranda agricultura, Venatio, Mercatura, aliaq́ hujusmodi, quibus victus paratur, & opes conſtant.

Victûs ratio diverſa eſt, ſive homines, ſive bruta ſpectes: ſine victu enim vita non eſt.

Sic & diverſa hæc ratio, diverſam qvoque vivendi introduxit.

Ad bruta qvod attinet, qvædam gregalia, qvædam ſolivaga ſunt: prout victûs ratio poſtulat, qvæ diverſa ſunt.

Alia enim animantibus veſcuntur, alia fructibus, alia utrisque.

Homines & ipſi vivendi modo differunt: ſed pigerrimi, pecuarii: absq́ ſudore enim alimentum inveniunt magis, qvàm parant.

Otioſis ſimiles, ſeqvuntur pecudes; & qvia locum, ut illæ paſcua, mutant, vivam videntur agriculturam exercere.

Alios Venatio alit, eaq; varia: Latrocinium, prędæ caussâ olim institutum: Piscatio, occasione & viciniâ lacuum, paludum, fluminum, maris: Venatio propriè dicta, qvæ & aucupium continet: deniq; Agricultura.

Si naturam prætereas, Cauponatio, Permutatio, Mercimonium, Usura accedunt, à luxu magis, qvàm necessitate.

Sed illa, tanqvàm bona mater, abundè omnibus prospicit, nascentibus, natis, adultis.

Vermes & ova, priusqvàm animantes sunt, alimenti qvantum satis, secum adferunt.

In illis pars superior, qvæ priùs formatur, inferiorem pro nutimento habet: in his pullus ex albumine fit luteo alitur.

De natis & adultis qvid attinet

dicere? lacte, & mox ſtirpibus vivunt, aut ne lacte qvidem.

Et ſtirpes qvidem, ut animalium cauſsâ ſunt; ita animalia hominum.

Manſueta, partim in uſum, partim in cibum, partim in utrumq; Fera & agreſtia pleraq; in cibum, veſtem, aliaq; vitæ ſubſidia.

Ut hæc ſunt, res etiam Militaris qvodammodò à naturâ eſt: qvippe acqvirendi cauſsâ.

Hujus & pars Venatio eſt; tanquàm militent, qvi feras inſeqvuntur; venentur, qvi homines, ad parendum natos, oppugnant, juſtum naturâ bellum faciente.

Ratio igitur acqvirendi, qvæ à naturâ, artis Oeconomicæ pars eſt, licet impropriè ſatis.

Patrem enim familias, vel inſtructum eſſe rebus ad vitam neceſſariis oportet; vel habere artem, qva inſtruat.

Res

Res necessarię sunt, qvibus & domûs, & civitatis societas fulciatur.

Omninò habere oportet, & qvod necesse est, & qvod satis: qvæ veræ divitię sunt, modo suo terminatæ.

Modus autem omnibus in rebus & artibus reqviritur; nisi & instrumenta infinita faciamus, qvod absurdum est.

Qvid etiam? artis acqvirendi instrumenta divitiæ sunt, sive domum, sive urbem spectes.

Hinc ergò manifestum est, artem qvandam, sive rationem acqvirendi esse, domui necessariam, atque civitati.

CAPUT VI.

Ratio acqvirendi artificiosa, a sive permutatio. Nummi inventio.

PRÆTER naturalem acqvirendi rationem, res pecuniaria est, propriè χρηματιστική; qvæ finem

nem aut modum divitiarum non videtur agnoſcere; ab uſu magis & arte, qvàm natura.

Uſus rei cujusq; duplex: ſuus, & non ſuus. Sic calcei uſus ſuus eſt, ut induatur; hoc enim fine factus eſt: non ſuus, ut permutetur; cibi nimirum vel pecuniæ cauſsâ.

Permutatio primâ qvoq; origine à naturâ eſt, qvaſi à copiâ & inopiâ; alio plus rei alicujus qvàm ſatis ſit, alio minus poſſidente.

Mercatura agitur, qvæ emit ut vendat, à natura non eſt: indigentiæ enim limites transgreſſa, amplius qvàm neceſſum eſt, cumulat.

Dixeris, non ſubſidium neceſſitatis, ſed divitiarum inſtrumentum eſſe.

In domo, ſive inter virum & uxorem, dominum & ſervum, patrem & filium, nullus permutationis uſus eſt; in civitate eſt. Iſt-

Isthîc enim, quia communia omnia sunt, nulla proprietas est.

Hîc, qvia proprietas est; alii aliis abundant rebus, alii indigent: vnde permutatio nascitur.

Et hæc qvidem simplicissima olim, postea pecuniaria facta.

Simplicissima, solam necessitatem & naturam respicit; primis mortalibus, & adhuc barbaris nonnullis, qvi vinum pro frumento, lignum pro carne dant, vel accipiunt, usitata.

Pecuniaria, è priori nata, mercium loco, qvæ difficulter absportari ad longinqua solent, nummi usum dedit, rerum omnium commune, & promptum pretium.

Metallum fuit, principio magnitudine & pondere, tandem impressâ notâ & imagine, tanqvàm examinis compendio definitum.

A num-

A nummo mercatura: cùm inciperet, ſimplicior fortaſſis rudiorq́; uſu deinde & experientia in artem rei augendæ crevit.

Ratio acqvirendi ſic qvidem præcipuè in nummo. Hoc enim agit, ut pecuniam colligat: qvemadmodum divitias ipſas his nominibus cenſemus.

Sed an tanti tamen numus eſt? Ab opinione, ſive lege pretium capit.

Vilis, qvia ab arbitrio utentium pendet; qvia adeſſe poteſt, & non prodeſſe, Midæ Regis exemplo, qui in auro fame periit, dives, & ſic miſer.

Alia igitur Opes, aut aliter æſtimandæ ſunt; alia qværendarum Ratio.

Opes, qvas natura novit, & ſuo velut ſinu, qvantum uſui ſatis eſt, offert.

Ratio, qvæ in mediocritate posita est, & ad Oeconomicam propriè refertur.

Nam qvę hinc abit, à natura abit; & qvia nummum nummi caussâ respicit, avaritiâ, non usu continetur.

Qvid etiam? divitiæ, qvæ sic parantur, sine termino sunt; qvia nullo fine consistunt, & sic nunquam divitiæ sunt.

Ut enim in reliquis, ita hic: finis infinitus est, viæ ad finem suo numero terminantur.

Finis medici, sanitas est; nec qviescit, nisi huc perveniat: viæ ad sanitatem pharmaca sunt, certa, aliis alia morbis tollendis; qvo fine consistunt singula.

Breviter: ratio acqvirendi, qvæ divitias, velut instrumenta vitæ habet, finitas & limitatas habet, & sic veras: hęc autem Oeconomica est.

Illa verò, qvę easdem tanquàm finem habet, infinitas, & sic non veras habet, & ab Oeconomicâ distinguitur.

Sic igitur divitiarum modus qvidam & terminus est: qvem omnes tamē vel ignorant, vel prętereunt.

Nummus nummum trahit, & semper avarus est: arca impleri potest, animus non potest; cupiditas infinita est.

Qvid dicam? ratio acquirendi confunditur, qvasi eodem modo paterfamilias, & mercator nummos qværant.

Hic qværit, ut semper augeat; illius erat, usu qvæstum metiri.

In eundem igitur finem uterq; fertur, & avaritiæ morem gerit; ut vivat, non ut benè vivat, occupatus.

Qvia autem vitæ cupiditas infinita est, infinitæ qvoque divitiæ expetuntur.

Non

Non cupiditas tantùm, ſed & voluptas rationem ſibi qværendi, eamq́ peculiarem vindicat.

Aliqui enim benè videntur ſibi vivere, ſi corpori & voluptati vivant, non utendo divitiis, ſed abutendo.

Huic qvia nullus voluptatis modus eſt: modum qvoq; divitiæ non habent.

Sed ſi cupiditas peccat, ampliùs voluptas, qvæ, cùm artes qværendi deficiunt, honeſtis qvoq; diſciplinis ac ſcientiis ad qvæſtum abutitur, arteśq; qværendi facit.

Fortitudinis eſt, non pecuniam conficere, ſed animos; at qvi voluptati ſe mancipavit, fortis tantùm eſt, ut acqvirat, & turpem virtutem facit.

Artes qvoq; luſtra: turpis ubiq; erit, qvia finem cujuśq; perverter, voluptatis cauſsâ. Ratio

Ratio igitur acqvirendi, alia necessaria est, alia non est: illa usui, & à naturâ; hæc vel cupiditati, vel voluptati, qvæ utraqꝫ infinita est, & à naturâ aliena.

CAPUT VII.

Acqvirendi ratio Oeconomicæ Politicæqꝫ ministra est: ejus usus.

SATIS ex his liquet artem rei acqvirendæ ab Oeconomicâ, atque adeò Politicâ distinctam esse; licet iis utrobiqꝫ opus, qvæ ars acqvirendi suppeditat.

Nam ut Politica non creat homines, sed regit: ita Oeconomica non suppeditat victum hominibus, sed dispensat.

Terra nos alit, mare, & reliqva natura, velut mater.

Sic ars textoria non conficit lanam, sed lanâ utitur; bonam à ma-

lâ,

lâ, utilem ab inutili diſtinguit.

Alioquin ſi ars acqvirendi Oeconomicæ pars eſt; etiam medendi: non minùs enim valere, qvàm vivere familiam oportet.

Ut verò ſanitatis cura ex parte patrem familias, eumq; qui reipublicæ præeſt, ex parte medicum ſpectat: ita rem curare & inſtruere familiarem, ex parte eſt Oeconomicæ, ex parte non eſt.

Artis, inqvam, illius eſt, qvæ Oeconomicæ adminiſtra cenſetur.

Omnino, vitæ ſubſidia, qvæ neceſſaria, à naturâ ſunt: hæc gignit omnes, qvidni alat? malè matrem facimus, niſi & nutricem agnoſcamus.

Sed ratio rei acqvirendæ duplex eſt: à naturâ, & ab arte: illa Oeconomica, è frugibus, & animantibus: hæc Cauponaria, è mercibus,

&

& nummis; illa laudabilis, hæc reprehendenda.

Maximè usura, sive ὀβολοςατική, qvia maximè contra naturam est, verumq́ nummi usum invertit.

Etenim, qvi permutandis rebus inventus est, seipsum ex se gignit: unde τόκ☉ Græcè, tanquàm nummi partus; & Fœnus Latinè, tanquàm nummi fœtus: breviter, nummi nummus.

Cognitio artis acqvirendi liberalis est: usus qui sequitur, imprimis necessarius, & officium patrisfamilias spectat.

Qvod officium? scire, qvæ in unaquaq́ familiæ parte fructuosissima sint, ubi, & quomodò.

Equi, an boves, an alia animalia, & quâ occasione: præterea, qui equi qui boves; & unde rectiùs comparentur.

Qvomodò paſcua & agri habendi, ſilvæ & vineæ, horti & pomaria; item mellificia, aviaria, vivaria.

In Permutatione & Commerciis Mercatura ſpectanda eſt, Fœneratio, atque operarum locatio.

Mercaturæ tres partes ſunt: Navigato, Vectuaria, Inſtitoria; qvarum alię tutiùs, alię utiliùs exerceantur

Operæ, vel ipſæ Artes ſunt, qvæ ſordidæ appellantur; fabrorum, ſutorum, textorum: vel corporis ſolius; bajulorum, tabellariorum, meſſorum.

Tertia qvoq; rei qværendę ratio eſt, inter naturalem, & Qvæſtuariam media; qvaſi aliquid à naturâ, aliquid etiam ab arte trahens, permutationi ac mercaturæ ſic quidem apta.

Nam & ligna qvæ ſcinduntur, & metalla qvæ fodiuntur, à naturâ

ſunt

ſunt; ſed naturâ tamen ἄκαρπα, id eſt, *ſine fructu*: arte utlia, qvia ſupellectili conficiendæ ſerviunt.

Metallica ratio tam varia eſt, qvàm metalla ipſa, alia auri, alia argenti, alia æris, ferri, plumbi, ſtanni.

Diſtinctiùs hæc tradere, non minùs ſordidum ſit, qvàm exercere. Politicus enim hîc nobis, non mercator, aut artifex formandus eſt.

Ex operis tamen plurimum artis habent, qvæ minimum fortunæ.

Sordidiſſimæ, qvibus corpora imprimis fœdantur; ſerviles maximè, qvæ nihil ingenii habent; ignobiles qvæ minimè virtutis indigent.

De Agriculturâ ſcripsêre Chares Parius, & Apollodorus Lemnius, tam nudâ, qvàm conſita; de aliis alii.

Exempla qvoqꝫ eorum qui divitias

tias parârunt, & documenta notanda sunt.

Thales Milesius paupertatem indignatus Philosophiæ objici, facilem ad divitias viam invenit.

Astrorum beneficio ubertatem olearum prævidens, datis arrhis, hiemante adhuc cœlo, olearias omnes officinas, tam Milesias, qvàm Chias conduxit: parvo etiam qvia nemine contrà licitante. Non fefellit annus, felix fuit; grande lucrû, qvod ex officinis conflatum est.

Haud difficiles Sapienti esse opes vides; sed nobiliori occupatione studia mentis detineri.

Ejusmodi igitur hic qvæstus Monopolium appellatur, non tam Privatum, & patrisfamilis, qvàm Publicum, & civitatis.

Civitates enim nonnullæ si inopiâ premantur, rerum venalium po-

potestatem, constituto pretio, rectè sibi vendicant.

Privatum tamen etiam Siculus qvidam usurpavit, qvi talentis apud se qvinquaginta depositis, omne è ferrariis officinis ferrum coëmit, pretioq; non nimis aucto, centum talenta, qvia otiosos nummos non habuit, lucri fecit.

Dionysio ingenium hominis, tanquàm privatim laudabile, placuit; exemplum, tanquàm publicè damnosum, displicuit.

Qvi ditatus erat, excedere cum pecuniâ Syracusis jussus est.

Sciat Politicus Monopolii rationem: sed sciat, non familiæ, at civitati convenire.

Hæc non minùs qvàm illa qvæstu indiget: & ex iis qui Rempublicam tractant, aliqui huic curæ præfici solent, Qvæstores, Publicani, alii.

CAPUT

Caput VIII.

Potestas Conjugalis, & Patria. Virtutes Oeconomicæ, imperium, sive obseqvium spectes.

TRES, uti dictum est, artis Oeconomicæ partes sunt: Herilis, Patria, Conjugalis. De Herili autem satis.

Paterfamilias & uxore imperat, & liberis; sed imperat, ut ingenuis, non ut servis. Aliter etiam uxori, qvàm liberis: illi πολιτικῶς *civiliter*, his βασιλικῶς *regiè*.

Etenim mari in fœminam imperium natura dedit, qvia aptiori.

Pro monstro est mulier, virili ingenio instructa.

Ætas patri in filium pariter imperium dedit, quia perfectiori & præstantiori.

Civile hoc imperium, licet sic dicatur, à civili tamen differt.

Usu

Usu namque receptum est, ut in Republicâ vicissim qvisq; imperet & pareat, ornatu, oratione, honore tantisper distinctus.

Alius qui imperat, & qvia imperat; alius qvi paret, & qvia paret: qvemadmodum de pelvi suâ verba Rex Amasis fecit.

In Familiâ hæ vices non sunt: mas enim semper imperat, paret fœmina: qvippe semper ille vir est, hæc fœmina.

Imperium qvod in liberos pater obtinet, Regium est: benevolentiâ enim & ætate constat; qvę Regii imperii imago est.

Hinc Jupiter, qvia Rex est omnium.

Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε Homero appellatur:

Parens hominumq; Deûmq;.

Naturâ siquidem Rex à suis differt

fert, genere idem eſt: homo, ut omnes; præſtans unus inter omnes.

Ætatem reſpice: ſic ſe habent ſenex & juvenis; Generationem, ſic ſe pater & liberi.

Officium igitur Patrisfamilias eſt, potiorum hominum habere rationem, qvàm rerum; magisq; virtutem promovere, qvàm qvæſtum.

Et qvia homo ab homine differt, plus curæ liberis, qvàm ſervis impendere.

Sed éſtne aliqua in ſervo virtus? éſtne alia, qvàm qvæ corporis miniſterio definitur? éſtne Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Juſtitia?

Si enim eſt, qvomodò differt à libero ſervus? ſi non eſt, qvomodò ratio, qvæ virtutis eſt fundamentum, in ſervo? aut qvomodò non homo, qvi homo?

Atq; idem de muliere, & puero

qvæ-

qværas: An uterque virtute præditi? an mulier fortis, temperans, justa? an temperans, vel intemperans puer?

In antecessum verò: an aliæ imperantis, aliæ parentis, an eædem utriusque virtutes sint?

Si eædem, cur alter imperabit semper, alter parebit? ille dominus, hic servus?

Eædem, fortassis inquies, sunt; sed non eodem gradu: majori dominum virtute esse, minori servum.

Sed frustra. Imperium enim & obseqvium specie diversa sunt: qvod majus & minus est, neqvaquàm.

Frustra etiam alteri assignes virtutem, alteri, tanquám non necessariam eripias.

Si enim qui imperat non erit temperans, & justus, qvomodò imperabit:

rabit? si nec qui paret, qvomodò parebit?

Profectò & imperii, & obsequii regula & ratio virtus est.

Sed virtutis discrimina sunt: sunt & eorum, qui alieno imperio naturâ subjecti.

Animum vide, ceu virtutis sedem: hujus pars una est qvæ naturâ imperat, altera qvæ paret: & alia hîc tamen imperantis, alia parentis virtus est.

Mens, sive ratio imperat, & Sapientiam, Prudentiamq; habet: Cupiditas paret, & Temperantiam, reliqvumq; Moralium agmen.

Si rectè calculum ponis, ubicumq; alia virtus, alia qvoq; à naturâ sive imperii, sive obsequii forma est.

Ad imperium qvod attinet, aliter liber servo imperät, aliter mas feminæ, aliter deniq; vir puero.

Atq;

Atq; in his omnibus, partes qvidem insunt animæ; sed dissimiliter & dissimilem virtutem faciunt.

In servo vis consultandi (præcipuum prudentiæ munus) qvasi nulla est, in muliere infirma, in puero imperfecta.

Eadem virtutum Moralium conditio est, qvæ omnes omnibus necessariæ sunt; sed non omni modo. Modus autem, ratione operis munerisq;, in singulis distinguitur.

Qvi imperat, perfectas, imò omnes habeat virtutes necessum est. Opus enim & munus, ut sic dicam, Architecti simpliciter sustinet.

Ratio autem, velut Architectus est: ille in opere, ista in civitate regit dirigitq; omnia.

Sed qvi parent, virtutem habeant Moralem necessum est; æ-

qvalem ut habeant, non eſt.

Qvippe alia viri, in qvo falſùs eſt Socrates, alia mulieris Temperantia eſt, Fortitudo, Juſtitia: qvia alia imperantis, qvæ Principalis eſt; alia obſeqventis, qvæ miniſtra.

An addo? alia pueri virtus, alia ſervi.

Si Gorgiam audias, aſſignare ſingulas ac diſtinguere malis, qvàm definire ſimul univerſas.

Et qvomodò definias? Eſſe Affectum, qvo ſe animus rectè habet, vel qvo rectè agit.

Qvomodò diſtinguas? Poëtæ Dicto:

Ornatus ingens fœminæ ſilentium.

Virum enim cordata & tempeſtiva oratio commendat.

Pueri & ſervi virtus qvia imper-

perfecta, non ad ipsos, sed vel ad patrem & Præceptorem, vel ad dominum referenda est.

Ut benè nimirum puer monentem audiat: & officia servus necessaria promptè exseqvatur.

Sic pater pueri norma est, dominus servi; virtusq́ pueri à paterno imperio modum capit; servi verò, ab herili.

Vitia etiam qvædam exuere, virtus est; ne vel voluptate, vel ignaviâ, vel metu jussa sive patris, sive heri retardentur.

Sed an & opificibus virtutes aliqvæ tribuendæ sunt? Sanè aliquam servi conditionem isti habent; sæpiusq́ opus, qvod in manu est, intemperantiâ negligunt.

Inter servum & opificem discrimen est: servus vitæ socius est, & agit: opifex non est, & efficit.

Aliquo tamen modo & ſervus eſt; qvia conductus operam manumq́ locat.

Unde in opifice tantum virtutis eſt, qvantum ſervitutis. Qvippe qvà ſervus, aliquâ virtute indiget: qvà opifex, non.

Agit ſervus, opifex efficit: in agendo autem virtus, in efficiendo ars ſpectanda eſt.

Præterea ſervus naturâ eſt, opifex arte, naſcitur ille, hîc fit: illi dominus virtutis cauſſa eſt; hic, qvia propriè artem habet, virtutem impropriè.

Aliquâ tamen & opifex virtute præditus eſt; non qvia opifex, ſed qvia ſervus.

Mariti & uxoris, patris ac filiorum vita, conſuetudo, virtus; quid item rectum, qvid pravum, in explicatione Reipublicæ dicetur.

Etenim

Etenim omnis familia pars eſt civitatis: partes familiæ, maritus & uxor, pater & liberi.

Virtus autem partis, id eſt ſingulorum, ad totum, ſive ad civitatem referenda eſt: ideoq; magis civitatis cauſsâ, qvàm familiæ, liberi & uxores ſunt.

Sane civitatis intereſt, ut benè formentur uxores & liberi.

Et Uxores qvidem, qvia alteram ingenuorum capitum partem conſtituunt: liberi, qvia Reipublicæ pars & ſeminarium ſunt, unde boni cives oriantur.

ERYCI PUTEANI
BAMELRODI
CIVILIS DOCTRINÆ
LINEÆ,

QVIBUS
ARISTOTELIS
POLITICORUM
LIBER SECUNDUS,
Ad Perpetuos reductus APHORISMOS, *repræsentatur.*

ARGUMENTUM.

V*Ariæ Rerumpublicarum formæ: sed ex his nonnullæ in usu, nonnullæ ab Auctoribus duntaxat descriptæ. In usu Spartana, Cretensis, Carthaginiensis: descriptæ, duorum sunt generum*

rum, vel à Philosophis, vel à Politicis & Legislatoribus. Inter Philosophos Plato, cujus utraq; Civitas, tam è libris de Republicâ, qvàm de Legibus examinatur: item Phaleas Chalcedonensis, & Hippodamus Milesius. At inter Legislatores Solon, Charondas, Philolaus, Draco, Pittacus, Androdamas, aliiq;

CAPUT I.

Platonis opinio de Communione, qvâ unâ maximè reddatur Civitas, examinata.

VERÆ Reipublicę facies tradi nequit, nisi & vitiosæ explicetur: omnes verò, aut præcipuæ examinandæ, ut optimam eruas.

Sed ut veritas impunè qværitur; ita citra ambitionem examen est.

De communione qvidem: An omnia

omnia omnibus in Civitate, an nulla communia ſint? an potiùs qvædam ſint, qvædam non ſint?

Nulla eſſe, nemo dicat, niſi malè dicat. Civitas enim qvid niſi Communitas eſt? Locus ſaltem Communis, qui unus omnium.

An igitur omnia? An potiùs aliqua? Qvid ſi Uxores, Liberi, Bona? qvemadmodum Platoni viſum.

Scilicet, ùt hoc nexu Civitas magis conjungatur, & una fiat: qvo tanquàm fundamento populi ſalus præcipuè conſiſtat.

Sed profectò Civitas ſi ita conjungitur, ut una omninò fiat, ne Civitas qvidem erit. Eſt enim naturâ ſuâ qvædam multitudo.

Hæc, ſi magis qvám oportet una fiet, ad unum redigetur: fiet qvippe è Civitate domus, è domo homo.

Magis autem domus unum eſt, quàm

qvàm Civitas; & homo, qvam domus.

Plures igitur esse debent, ut Civitas sit plures, sed ordine & conditione, imò specie inter se distincti.

Aliter verò in Bellicâ societate; qvę solâ multitudine censetur: milites enim omnes sunt, & auxilii duntaxat caussâ.

Aliter etiam in gente per agros sparsâ, qvales sunt Arcades, similes inter se, & sub uno duntaxat magistratu.

In Civitate autem plures sunt partes; ut in corpore membra: & uniri debent, ut partes sint.

Hinc vicissitudo: qvæ ut æqvalitatem inducit, ita habet dissimilitudinem.

Æqvalitas igitur conservat Civitatem. Ideò enim liberi paresq́ sunt cives, ne conditione differant,

qvę potiſſimùm imperio cenſetur.

Sed ut ſimul imperent omnes, fieri neqvit: viciſſim igitur, producto imperii tempore, vel contracto.

Hâc qvidem ratione & imperant omnes, & parent: imò qvi diſſimiles ſunt, redduntur pares.

Qvaſi dicas, eosdem cives modò ſutores eſſe, modò fabros, contrà qvàm ſolet. Sutores, enim ſemper ſutores ſunt, fabri fabri.

In Republicâ rectiùs qvidem aliqui imperarent, ſi perpetuò: id qvia fieri nequit (omnes enim naturâ æqvales ſunt) viciſſitudine opus.

Neceſſum omninò, ut qvi imperant, ad obſequium; qvi parent, ad imperium redeant, alii, licet iidem: majori aut minori dignitate.

Hinc patet, Civitatem Platoni-

cà

câ ratione unam non esse; atque adeò perituram, si esset.

Qvid etiam? unionem hîc ne bonam qvidem esse. Qvod enim bonum est, conservat id cujus bonum est: perdit autem Civitatem unio, qvia bona non est; & bona non est, qvia perdit.

Ad summam αὐτάρκεια, sive *rerum copia*, Civitatis felicitas est; qvæ unione istâ impeditur.

Minùs enim unumquodq; abundat, qvo magis unum est, minusq; sibi sufficit.

Hâc ratione amplius sanè domus, qvàm homo unus suppeditat, qvia unus est: & sic Civitas, qvàm domus.

Qvare si optabilius, qvod αὐταρκέστερον, sive quod *magis sibi sufficiens*: etiam quod minùs unum, optabilius erit.

CAPUT.

CAPUT II.

Platonica Uxorum ac Liberorum Communio Reipublicæ pernitiosa.

SED concedamus Platoni, utile esse Civitati, unam qvàm maximè esse: non ideò tamen, quia MEUM, & NON MEUM omnes dicant, una perfectè erit.

VOX OMNES dupliciter sumitur: singulatim, & universè. Singuli cùm suum dicunt filium suum esse, suam conjugem suam, sua bona sua; quia sibi vindicant, jam communia non sunt.

Si enim meus est filius, communis non est: si communis, meus non est.

Universi, sive simul omnes, cùm omnia sua dicunt, dicunt quod fieri nequit: sed nec sequitur quod Plato voluit, unam sic maximè & concordem Civitatem esse.

Quid

Qvid enim? diverso Omnes, & Singuli sensu sunt; ut etiam Uterque de paribus imparibusque.

Duodeni homines si qvaterterni consistant, omnes, ut singuli, impares erunt; quia terni: omnes, ut universi, pares; quia duodeni.

Item seni si bis terni, utrique singulatim impares erunt, universè pares.

Sive igitur Omnes Plato accipit ut singulos, tollitur communio; sive ut universos, concordia; cujus caussâ communionem induxit.

Aliud etiam communionis hujus malum, incuria. Quæ enim communia sunt, nemo sua putat.

Rerum quisque suarum satagit, alienus à publicis, tanquam non suis; nisi privato simul lucro publicas metiatur.

Sic quæ omnibus incumbunt, tan-

tanquàm curentur à singulis, negligi solent: & multi in familiâ famuli minùs serviunt, quia multi sunt.

Finge jam in Republicâ Platonis mille unicuiq; civium filios esse, unius omnes, qui singulorum sunt; sanè negligentur omnes, tanquàm nullius sint.

Prætereà, quod solatium patri à filio; filio à patre, si omnes omnium patres sunt, omnes omnium filii?

Nemo qvem genuerit sciet, nemo ex qvo natus sit: unde vel amor nullus erit, vel à naturâ aberrabit.

Imò qvæ distinctio cognationis & affinitatis? qvis filius, qvis frater, qvis consobrinus erit? qvicquid distingui debuit, communione perit.

Natura audienda est, quæ Platoni se opponit.

Etenim, ne communes liberi ſint, formæ ſimilitudo ut plurimùm facit: Originem aſſignat.

Si in Libya communes ajunt uxores eſſe: liberos tamen indicio vultûs diſtingui.

Etiam aliorum animalium femellæ pleræq; præſertim eqvæ & vaccæ, ſimillimos admiſſariis fœtus edunt.

Pharſalica illa equa, proverbio qvoq; nota eſt, Δικαία, ſive *Juſta* appellata, qvaſi ſuum cuiq; redderet.

Jam verò quæ incommoda in hâc communione! rixæ, pugnæ, vulnera, cædes: decumano qvidem ſcelere inter nätos & parentes; & majori inter cognatos, qvàm alienos; freqventiores uerò, quia inter ignotos.

Præterea, ab ignotis nulla expiatio

piatio: quis enim sciet læsisse se parentem, si parentem nesciet?

Absurdum deinde, liberos communes esse; amoris delicias (etiam in verecundiores) inter liberos & parentes permitti, inter fratres ac sorores.

Minor certè concordia, ubi hæc communio est; & quia in Custodes, sive Principes, atq; Agricolas, sive Cives Respublica divisa est; non Principibus, sed potiùs Civibus communes à Platone uxores præscribendæ erant.

Expedit enim, Cives potiùs, nequid novi moliantur, qvàm Principes, qui imperium in Cives habent disjungi ac diffidere.

Scimus interim, atq; etiam scimus Maximum Civitatis bonum amicitiam, sive concordiam esse, & hâc unâ præcipuè seditiones inhiberi.

So-

Socrates ipſe, ut concordem habeat, unam Civitatem facit.

Et Ariſtophanes eam eſſe amantium naturam, ut præ nimio amore, qui duo ſunt, coaleſcere in unum cupiant.

Qvid tamen eſt? Imple votum, fiant unus, qui duo erant: aut utrũq́ꝫ, aut alterutrum perire neceſſum eſt

Prorsùs, ut vinum nimiâ dilutum aqvâ vinum eſſe deſinit: ita & amicitia communione iſtâ, qvia nimis ſe diffundit.

Etenim non recto aut ſincero affectu vel patrem filius, vel filium vocabit pater, ubi omnes unius ſunt, & unus omnium.

Neceſſitudo ex his nominibus velut dulcedo eſt: in immenſum ſparſa, perit, aut langueſcit.

Langueſcit ſimul cura, imò amor, qvem & pater filio debet, & filius patri.

Duo

Duo enim ſunt, qvæ & curam & amorem gignunt; habere qvod tuum dicas, & qvod unicè diligas; qvorum utrumqꝫ à Republicâ Platonicâ alienum eſt.

Deniqꝫ liberorum translatio, à Civibus quidem ad Principes (naſci è plumbo aurum ſolet) vel à Principibus ad Cives (naſci ex auro plumbum) qvomodò fiet?

Sanè qui transferunt, noſſe debent quos transferunt, & noſſe ex ſe natos eſſe.

Qui transferuntur, quia ignoti ſunt, & ab omni cognitionis uſu alieni, non minùs in jurgia & cædes, qvàm amores & flagitia faciles erunt.

CAPUT III.

Bonorum pariter Communio rejecta,

DE bonis diſtincta qvæſtio: Communia, an non communia

nia in Republicâ & populo benè constituto habenda?

Distincta, sed triplex: An prçter, possessionem rerum singulorum esse, usum verò omnium? qvod nonnullç gentes etiam hodiè usurpant.

An possessionem communem, fructus verò singulorum, pro necessitate cujusq; distribuendos? mos Barbaris quibusdam familiaris.

Postremò, an & possessionem communem, & fructus?

Alibi qvidem prædia sua ipsi Domini colunt, alibi per alios. Si per alios, facilior sit modus: si ipsi, difficilior: suos enim qvisq; labores communes fieri non fert.

Imò, alium operam impendere, alios plus percipere, qverelarum fons & fomes est.

Simul vivere sine simultate vix licet: communes habere res, qvibus

bus vivamus, maximè arduum eſt.

Qvid vivere? ac ne peregrinari quidem: ita faciles ubiq; jurgii cauſsæ ſunt: ſolenne, conjungi & collidi.

Communionis qvoq; vitio in ſervos domini, qvos qvotidianis miniſteriis adhibent: iras identidẽ ſumunt, & tanquàm ſecum diſſident.

Qvantò igitur melius, receptam conſuetudinem ſequi; modò bonis moribus, bonisq; legibus cives contineantur.

Ita enim & communio qvædam erit, Reipublicæ utilis; & proprietas, ſingulis atq; Reipublicæ.

E proprietate autem qvædam naſcetur communio.

Et fiet proprietate, ut diſtributis curis, nullus qverelis locus ſit: res autem ipſæ privatâ cujusq; induſtriâ augeantur: fiet communione, ut

ut necessitati omnium satisfiat.

Virtus hoc agit, & aliquem à proprietate usum separat: agit usu, ut qvod adagio dicitur, AMICORUM OMNIA COMMUNIA, obtineat.

In qvibusdam etiam civitatibus, rectè quidem institutis, communionis hujus imago qvædam est; ut credas, aut fieri, aut fieri posse, qvod præscribimus.

Facile, inquam, est, sic possidere qvædam, ut ad amicos usum, ubi opus, transferas: sumere ab amicis, quo mutuo jure communia existimes.

Hoc modo Spartani alienis servis, equis, canibus, tanquam suis utuntur: ex alienis agris, cùm iter faciunt, viaticum sumunt.

Omninò melius, propria esse bona, qvàm communia: sed facere usu, ut com̃unia sint. Le-

Legislatoris autem munus eſt, definire modum, qvo fiant.

Præterea, longè jucundius eſt, qvædam ſua & propria, qvàm omnia habere communia; & ſic amare, qvia ſua.

Amare ſua, id qvodammodò eſt ſe amare: aliquid enim noſtri res noſtræ habent.

Hic autem amor ſui, qvia à naturâ, jucundus eſt: laudabilis etiam ſi modum non excedat.

Sic amare pecuniam, qvod omnibus inſitum, nemine probro eſt; ſed plus æquo amare, id verò eſt.

Svave etiam, de amicis, hoſpitibus, ſodalibus, qvoties occaſio, bene mereri.

Id autem fieri nequit, niſi propriæ facultates ſint; uſus autem fiat communis.

Hæc cùm ita ſint, Platonis dogmate

mate duę imprimis virtutes tolluntur: Temperantia, quia communes uxores ſunt;& Liberalitas,quia poſſeſſiones.

Etenim Temperantiæ officium eſt, alienâ uxore abſtinere, cùm ſuam qvisq; habeat: habet autem, ut abſtineat.

Liberalitatis eſt, transferre in alios qvod tuum eſt: tuum nihil erit, ſi communia omnia facias.

In ſpeciem igitur pulchra & humana hæc communio, animis,quaſi fuco qvodam publicæ concordiæ, & accuſatione vitiorum ſe inſinuans, à proprietate, ſi Dîs placet, profluentium.

Accuſantur ſcilicet lites, quia contractus ſunt, falſorum teſtimoniorum judicia, locupletum adulationes, & quæ hujus notæ.

Sed malè accuſantur; non enim à pro-

à proprietate, ſed improbitate originem ſumunt, nec qvia ſua ſingulis bona ſunt; ſed quia ipſi mali.

Ampliùs ſanè rixis ac ſimultatibus colliduntur, qui cōmunes qvàm qui proprias facultates habent.

Qvia verò pauci ſunt, qui communes habent, multi qui proprias; ampliùs hi videntur, qvám illi contendere; non malo, ſed numero comparati.

Qvid attinet verò commemorare mala, quibus communio caret, ſi bona, quibus deſtituta eſt, ſilentio omittantur?

Breviter: non poteſt cum communione vita hominum, cum vitâ communio conſiſtere.

Sed Socratem in errorem perverſa hypotheſis induxit, Civitatem unam eſſe oportere.

Oportet ſanè & domum, & Civita-

vita-

vitatem aliquâ ratione , ſed non omninò unam eſſe.

Ita enim fortaſſis una ſit, ut Civitas non ſit: ita etiam, ut propè non ſit.

Qvò autem propiùs non eſt, deterior eſt: & qvò propius abeſt ab unitate, propiùs non eſt: unitate enim deſtruitur.

Sic profectò ſiquis concentum unâ voce conſtituat, tollit concentum; ſiquis verſum uno pede, tollit verſum.

Multitudo igitur in Civitate retinenda eſt: qvam diſciplina unam & communem faciet.

Lacedęmonios, & Cretes vide: in publicas Sodalitatum epulas communes poſſeſſiones habuêre, & quisqꝫ tamen ſuas: uſus communis erat, proprietas cujusqꝫ.

Rejicitur etiam tempore hæc

comunio: qvippe à nemine hactenus proposita, à nemine usurpata.

Qvæ enim pulchra & utilia generi humano, diu latere aut negligi non possunt.

Nonnulla sanè, licet inventa, in usum tamen recepta non sunt: alia postquàm recepta, mox repudiata.

Sed admitte Platonis dogma: Civitatem nihilominùs non uniendo, sed dividendo facies.

Una, ut oportet; non erit, nisi partes ordinesq; constituantur, sodalitates, curiæ, tribus.

Qvod reliquum est, cavetur hoc tantùm communione istâ, ne Principes agrum colant, curis Reipublicæ intenti.

Verùm & Spartani hoc agunt, à communione tàmen alieni.

Ut paucis dicam, forma hæc tota informis est: neq; explicata

So-

Socrati, neq; facilis explicari.

De Agricolis & Opificibus nihil ſtatuitur: his igitur communia bona erunt, an propria?

Si enim communia, qvod inter Principes & Cives diſcrimen? qvo honore aut præmio Magiſtratus geretur?

Qvid? Cretes fortaſſis in exemplum venient; qvi alia promiſcuè libera, ſola Gymnaſia & armorum uſum liberis aſſignârunt.

Si verò propria, ut aliis in urbibus; quæ communionis hîc tandem forma aut ratio? In unâ Civitate duæ, ut ſic dicam, erunt; imò contrariæ & diſcordes.

Erunt Principes, tanquam præſidium Civibus; erunt Cives, tanquã præſidio gravati. Qvid etiam? erunt qverimoniæ, lites, labes.

A legibus an remedium? At eæ

hîc admodùm paucæ, aut non necessariæ sunt; tanquàm suâ res omnes disciplinâ constent.

Disciplinâ, sed mancâ, qvæ solis Principibus commissa, mancam Civitatem facit.

Qvid etiam? Bonorum domini Agricolæ sunt, tributo tantùm obnoxii, qvo Principes alantur.

Domini Agricolæ! Arrogantes igitur sunt: sunt, qvod nec Hilotæ apud Spartanos, nec Penestæ apud Thessalos, nec alia alibi servitia, fastu damnosa.

Qværam verò, An communio quę inter Principes, ad Cives qvoq; se extendat? qværam, qvæ Civium ratio sit, quæ disciplina, qvæ leges? sine qvibus communio Principum nulla est.

Prætereá, si uxores communes, bona verò Propria; utri rem familia-

liarem administrabunt? Num uxores? communes sunt: num viri? agris occupantur.

Præposterum qvoq́ʒ, neglecto sexu, ad virilia munia fæminas vocare, tanquàm palæstræ, militiæ, imò Reipublicæ aptas

An hoc satis, in exemplum belluas citare, quia non minùs canes fœminæ, qvàm mares gregem defendunt?

Qvid dicam? nulla belluarum rem domesticam curat: inter homines hoc munus femininum, & malè à virò usurpatur.

Ingens etiam periculum secum Magistratus hic Socraticus trahit, qvia perpetuus.

Cæteri iniquâ conditione stimulati, res sæpè novas moliri audent? non tantùm si animosi sint, sed si ignavi. Animos enim & ipsa invidia facit.

Et

Et qvare perpetuus? quia ſic à naturâ qvaſi factus deſcribitur.

Qvippe aliorum animis in ipſo ſtatim ortu vel aurum qvoddammodò, vel argentum inſtillari; aliorum, æs, vel ferrum.

Ex auro igitur & argento Magiſtratum & milites, ex ære & ferro opifices & agricolas cenſeri.

Poſtremò, munus Legislatoris eſt, ut Civitatem beatam faciat.

At Platonis Magiſtratus, vel ideò infelix, qvia Magiſtratus eſt: curis perpetuis, ſine præmio aut prærogativâ alligatus.

Si infelix Magiſtratus, infelix & Civitas. Non poteſt enim totum fœlix eſſe, niſi & partes ſint: pars autem præcipua Civitatis Magiſtratus eſt.

Aliter etiam ſe numerus habet, ſi cum felicitate paritatem compa-

ras. Poteſt enim par eſſe in toto, licet in parte non ſit: felicitas verò in Civitate eſſe non poteſt, niſi & in partibus ſit.

Ampliùs: ſi Magiſtratus felix non eſt, quis erit? ſi caput malè ſe habet, qvod membrum benè?

Gravis igitur hæc difficultas, qvæ dictæ; & fortaſſis aliæ graviores, qvæ nòn dictæ: ſive Platonem malis, ſive Socratem errare.

CAPUT IV.

Altera Platonis in Libris de Legibus Reſpublica refutata.

NOVAM in Libris de Legibus Plato Rempublicam format, dignam examine; qvia qvæ maximè ad Civitatem faciunt in Prima omiſſa ſunt; explicata, qvæ non faciunt.

Etenim communes eſſe Uxores, Libe-

Liberos,Bona voluit: in Agricolas deinde & Opifices populum, divi-dit, in Milites, & Senatores.

Sed an Agricolis Opificibusq; Militia ac Senatus pateant, non definit.

Mulieres interim tanquàm viros habet; imò tanquàm Milites, disciplinæ & armorum capaces.

Qvæ reliqua sunt; ut prolixa, ita à re aliena.

In Libris verò de Legibus, nil ferè nisi Leges: pauca de Republicâ, qvam cùm fulcire nititur, debilitat,& cum priori confundit.

Præter Communionem Uxorem Liberorumq; eadem Civitatis munia, aut qvasi eadem.

Eadem Disciplina, eadem συσσίτια, sive *Sodalitates*: nisi qvod isthîc mulieres jungantur viris, hic separentur: isthîc mille arma-

torum sint, hîc decem millia.

Socratis igitur illi sermones pulchri specie, ingeniosi, novi; sed reverâ dubii, imperfecti, duri.

Qvanta enim hæc Civitas, sive numero hominum, sive loco!

Novam dixeris Babylonem condi, regione magis qvàm urbe gentem unam claudi.

Non profectò qvæ maxima sunt, sed qvæ modum servant, laudem inveniunt.

Neqꝫ satis, homines & regionem à Legislatore spectari; nisi vicini & vicina loca examinentur.

Ubi homines sunt, hostes qvoqꝫ esse possunt: sed in hostes armis opus: aliis domi, & si oppugneris; aliis foris, si oppugnes.

Qvod si bello nolis externo Cives implicari; terrori tamen hosti sint, sive incurrenti, sive abeunti: sic pace fruituri.

Jam bonorum qvis modus? ut *Frugaliter* omnes vivant; qvasi dicat, benè: sed profectò non benè.

Frugaliter enim quis potest vivere, & tamen ærumnosè: sicuti ærumnosè, & frugaliter.

Meliùs igitur, *Frugaliter*, & *Liberaliter*: miseręenim vitæ & ærumnosæ Frugalitas comes est; beatæ & deliciosæ Liberalitas.

Prorsùs jungendæ hic Frugalitas & liberalitas: qvas solas virtutes usus bonorum habet.

Divitiis namq; Leniter aut fortiter uti non licet, Frugaliter verò & Liberaliter licet.

Jam verò & hoc mirum est: dividi ex æqvo bona; certi nihil de Civium numero, & liberorum procreatione statui.

An, qvòd in aliis Civitatibus orbitate, vel etiam sterilitate ad æqva-

lita-

litatem multitudo nascentium veniet?

Sed in aliis alia ratio: qvamvis enim multitudo definita non sit, bona nihilominùs dividuntur in singulos; & cùm ad omnes portio aliqua patrimonii perveniat, nemo eget.

In Platonica autem, qvia affectu, non jure liberis pater bona distribuit; qvisquis ultra numerũ populi natus erit, extra bona qvoq; erit.

Potiús igitur procreationi liberorum ponendum fuisse modum dixeris, qvàm divisioni bonorum, adductâ licet in æqvationem Naturâ, qvæ orbitatem alibi, alibi sterilitatem facit.

Et nisi hic ponatur modus, paupertas urbem occupet; improbitatem, injuriam, seditionem tanquàm gnatas inductura.

Re-

Rectiùs profectò Phido ille Corinthius, Legislator inter vetustos. Statuit enim, & numero & censu cives æqvandos esse, qvamvis initio sortes essent inæqvales.

Qvod etiam discrimen inter eos qui regunt, & qui reguntur? Nullum, aut qvasi in nebulâ similitudinis laborans.

Stamen nobis & tramam proponit; illud è præstantiori lanâ, & imaginem Magistratus esse; hanc è viliori, Civiumqꝫ.

Qvasi dicat, præstantiori animo opus esse, ut quis regat; vilem obsequio sufficere.

Alius etiam error: Ad qvadruplum augeri singulorum posse bona; agros tamen omninò eximi. Agri igitur bona non sunt, aut bona augeri, & non augeri, idem est.

Alius, prorsùs Oeconomicus: In ha-

habitationem duas unicuiq; assignari, Domorũ areas, easq; disjunctas: sed duas habitare domos, difficile est; difficiliùs, disjunctas.

Et partes quidem sic se habent: universè quæ constitutio? non Democratica, sive Popularis, non Oligarchica, sive Paucorum; sed ex his mixta, qvam Πολιτείαν, sive *Rempublicam* apellamus; & in quâ omnibus cõmuniter arma permissa sunt.

Hæc igitur forma, vel tanquàm maximè usurpata vel tanquàm optima, post primam illam placuit. Si ut maximè usurpata, non malè; si ut optima, non benè.

Nam fortassis præstantior Spartana, aut qvæcumq; alia, Aristocratiæ propior.

Optimam quidem nonnulli censent, quæ ex omnibus temperata.

Et sic optimam Spartanam, è Monarchiâ,

narchiâ, Oligarchiâ, Democratiâ.

Ex Monarchiâ, quia duo Reges sunt; Oligarchiâ, quia Senatus est; Democratiâ quia Ephori, deq; plebe sumpti.

Nisi tamen Ephororum imperium magis Tyrannicum putes; qvod reliqvum est, ratione sodalitatum & vitæ qvotidianæ communione, ad Popularem statum accedere.

At bonæ illæ Platonis Leges optimam Reipublicæ formam è Tyrannide & Democratiâ conflant: qvæ duæ profectò, vel Respublicæ non sunt, vel deterrimæ.

Sanius igitur, plures miscere: qvæ enim coalescit è pluribus, melior firmiorq; est.

In Platonicâ hâc verò frustrà Tyrannidis nomine Monarchiam accipias: omnia namq; vel Oligarchiam, vel Democratiam induunt.

Et

Et magis istam; uti è Magistratuum ratione & creatione manifestum est.

Magistratus suffragio, & sorte constituitur. Post suffragium sorte uti, ut electionem restricto numero casus corrigat, id suffragio tenus Oligarchicum est; sorte, Democraticum.

Sed locupletiores concionibus interesse, rogare Magistratum, aut simile munus, reliquis exclusis, obire, Oligarchicum est.

Imò eos ipsos præ relinquis evehi, & majori censu ad majores dignitates, pariter Oligarchum est.

Senatûs qvoq; annua electio à Democratia abit, suffragiis ad opulentiores & sic ad paucos, callidè revocatis.

Qvatuor civium classes sunt, censu distinctæ: Electio ex omnibus, & ab omnibus. Eli-

Eligunt è primâ omnes reliquarum classium, & necessariò tanquàm coacti ad suffragium, nonagenos.

E secundâ qvoq; omnes, & necessariò, rursusq; nonagenos.

E tertiâ omnes, sed non necessariò Qvartani, itemq; nonagenos.

E qvartâ omnes, sed nec Tertiani necessariò, nec Qvartani, pariterq; nonagenos: qvâ ratone suis circulus partibus impletur.

An satis? E nonagenis singulis qvini & qvadrageni suffragio sumuntur; suntq; centum octoginta; ex his demum nonageni, non jam suffragio, sed sorte; qui è trecentis sexagenis reliqui sunt.

Qvid seqvatur vides: Vincent suffragio, qui censu: coacti enim non sunt, nisi qui sic vincunt.

Qvid etiam? Ad novam designatos

tos electionem ducere, periculo non vacat.

Conſpirare paucos ſatis eſt: pauci qvos nolis, ſuo arbitratu evehent.

Qvia à multis ad paucos venitur, ſæpiùs eligendo; etiam pauci faciliùs conſpirare, qvàm multi poterunt; & obnoxia paucis electio erit.

CAPUT V.

Phaleæ Chalcedonenſis de Republicâ opinio.

ALIÆ qvoq; formæ ſunt, à Privatis, à Politicis, à Philoſophis & Sapientiam profeſſis.

Meliores verò utrâq; hâc Platonicâ, & viciniores iis, quæ hodiè in uſu: qvippe ſine inſolenti iſtâ communione liberorum, uxorumq;.

Potior tamen quibusdam bonorum ratio eſt, qvaſi ab hoc fonte omnis in Rempublicam ſeditio derivetur.

Hinc

Hinc præcipuè Phaleas Chalcedonensis æqvalitatem bonorum utilem censuit.

Facilem qvoq; sed in ipso Civitatis conditu: deinceps difficilem.

Superari difficultatem posse, si, qui divites sunt, dotem dent, nec accipiant.

Plato autem in Secundâ Republicâ idem, non idem statuit. Placuit æqvalitas in auris: inæqvalitas qvadruplo lucri definita est.

Rudes verò legum hi conditores; nisi circumscriptis bonis, liberorum mulitudinem ad numerum revocent.

Etenim censum si liberi superent, vel antiquari legem, vel certè à divitiis ad paupertatem civium plerosq; trahi necessum est: hos autem novis rebus non studere difficile est.

Sed

Sed bonorum tamen æqvalitatem aliqvam Reipublicæ commodam eſſe, ne Veteres qvidem ignorârunt.

Solon quidem, ſi non omninò æqvavit bona; reſtrinxit tamen, certos in Republicâ cenſus diſtinguendo.

Alibi lex eſt, nequis quantum velit agri emat.

Apud Locros verò, nequis vendat, niſi manifeſtâ calamitate impulſus.

Apud Leucadios, Nequis τὰς παλαιοὺς κλήρους, *partes initio attributas* imminuat: qui profectò dum legem tollunt, & cenſum confundunt, in Democratiam ſoluti ſunt.

Sed ne ſatis hoc quidem, Bona æqvalia eſſe. Qvid enim ſi nimia? nónne luxu inducunt? Si præanguſta? nónne ſordes, arteſq; malas?

Itaq;

Itaq; mediocritas magis, qvàm æqvalitas necessaria est.

Et frustra mediocritas, nisi lege & ratione regatur.

Omnino ad modum ipsi animi redigendi sunt; ut cupiditates potiùs, quàm opes exæquentur.

Hoc volui, dicet Phaleas. Æqvalitatem enim non ad bona hîc tantùm, sed ad disciplinam referri: bona omnibus paria, disciplinam unam & eandem esse.

Sed esse, satis etiam non est, nisi bona sit: bona autem qvomodò, si ad mala ducit, ambitioni vel avaritiæ? vel utriq; fibulam laxans.

Sanè non minùs eminere, qvàm abundare omnes cupiunt; non divitiis tantùm, sed honoribus pares esse.

Gemino sic qvoq; stimulo ad seditiones exsurgunt: plebei qvidem

illo

illo divitiarum, qvas inæqvales esse; meliores illo honorum, qvos æqvales esse pariter indignantur.

Achillis apud Homerum qverela est:

Ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός:

Strenuus ignavusq; pari censemur honore.

Ita verò homines sunt, ad injuriam inferendam proni: non tantùm, ut necessitatem depellant; sed ut vel avaritiam, vel voluptatem expleant.

Et ponamus igitur, necessitatem æqvalitate bonorum tolli: avaritiæ certè & voluptati inæqvalitas concedenda est.

Si remedium voles: egentibus parvæ opes, sed labore & industriâ gubernatæ, avaris Temperantia, voluptuariis ipsa Philosophia erit.

Phi-

Philosophia, inquam; qvæ veræ ac solidę voluptatis mater est; qvę hoc agit maximè, ut in se inveniat qvidquid svave est, ope, quâ alia ferè gaudia indigent, abdicatâ.

Sed ad minora plerumq; flagitia necessitas, qvàm luxuria trahit.

Qvis tyrannidem exercet, ut frigus aut famem pellat? Levius furtum, quo cibus aut vestis qværitur.

Hinc etiam majori affici honore solet, qui tyrannum occidit, qvàm qui furem.

Phaleas igitur hoc egit tantùm, ut parva delicta, è Republicâ suâ tolleret: parvis enim duntaxat admota remedia sunt.

Hoc etiam, ut inter cives rectè quidem gerantur omnia; sed omissis, quę adversus vicinos, & externos.

Dixeris, de pace tantùm, non de bello

bello constitui; qvasi nullos unqvàm hostes habituri, qui ut cives formandi sunt.

Sic bona, tanquàm paci, non bello serviant, distributa: quæ tamen non ad civiles modò usus, sed militares necessaria sunt: prorsùs ut imminentia aliunde pericula propulsentur.

Damnosæ igitur opes, quę magnitudine suâ vicinos potentesq; ad bellum excitant, & hostem merentur.

Damnosæ pariter, quæ dum oppugnantur, defendi nequeunt: quæ pàrvitate suà bello impares, licet pares sint qui oppugnant.

Optimus sic quidem modus est; qui cum modicam potentiam reddit, spem hostibus prędę pręscindit

Etenim bellum gerere, ut sumptus victoriam superent, clades est.

Anto-

Autophradates Atarneum obsessurus, & ab Eubulo morâ expensamq; jussus expendere; quia majorem oppido invenit, incepto destitit.

Ut isthuc redeam, Consopiendis quidem seditionibus æqvalitas bonorum inepta non est; sed nec prorsùs apta.

Etenim qui præstantiores sunt, nihil ægriùs ferunt, quàm cum reliquis censeri: unde conspirationes, & alia Reipublicæ mala.

Prætereá, nec improbitas expleri humana potest, crescens semper & cum ipsâ se Fortunâ dilatans.

Ab obolo ad infinitum veniet & ubi omnia acceperit, nihil satis erit

Cupiditas infinita est; & hoc agunt omnes, ut eandem satient; quasi ad hoc nati, ut satient.

Qvid agendum igitur? non ut bona æquentur, sed ut bonæ leges sint; quibus plus æquo possidere

boni nolint, mali neqveant.

Id fiet autem, ſi & pauciores ſint, qui mali; nec injuriâ à bonis mali irritentur.

Ita etiam bonorum hæc æqvalitas inſtituta eſt; ut ſoli agri bona ſint. Ubi igitur ſervi, pecora, pecunia, ſuppellex?

Aut hæc quidem ad æqvalitatem, ſive ordinem aliquem, & mediocritatem reducenda ſunt, aut omittenda omnia.

Qvantilla deniq; hæc Phaleæ Civitas eſt? opifices omnes, quia publici velut ſervi ſunt, cives non ſunt.

Qvid? publicos eſſe ſino, ſervos eſſe non ſino. Sino, ut publicis in operibus à civitate occupentur, & numerum in civitate faciant.

Ita Epidami hâc etiam tempeſtate fieri videmus, & Athenis olim Diophantus inſtituit.

Caput VI.

Respublica Hippodami Milesii ad examem vocata.

HIPPODAMUS Milesius Euryphontis filius, cùm Architectus esset, etiam fabricare Rempublicam voluit: vir animi corporisq; cultu curiosior: à quo in vias & vicos urbes primùm descriptæ sunt, atq; ipsa adeò Piræus.

Numerum civium decem millibus definitum esse voluit:&in Opifices, Agricolas, Milites divisum.

Agrum qvoq; vel Sacrum esse, vel Publicum, vel Privatum: è Sacro sumptus ad rem divinam sumi, & Sacros esse; è Publico Milites, è Privato Agricolas ali.

Legem omnem vel ad Contumeliam, qvę famę est; vel ad Damnum qvæ bonorum; vel ad Cædem, qvę corporis, referri: sic & pœnam ignomi-

nominiâ, mulctâ, morte constitui.

Inter tribunalia unum velut decumanum, & è senioribus esse, judiciorum qvasi judicium, & caussarum supremum examen.

Sententiam non calculis, sed tabellis ferri; adscriptâ caussâ, siquis simpliciter, vel ex parte condemnaret; vacuis, siquis simpliciter absolveret. Aliter enim justum esse judicem non posse.

Scivit etiam, ut qvicumq; rem Civitati utilem invenisset, honore afficeretur.

Ut liberi eorum, qui pro Republicâ occubuissent, publico sumptu (qvod tamen & Athenis, & alibi in usu fuit) alerentur.

Deniq; , ut omnis à populo magistratus eligeretur. A populo, inquam, in Opifices, Agricolas, Milites diviso. Et eligeretur, ad res

communes, ad hoſpitum, & pupillorum curandas.

Qvid dicimus? Ad diviſionem qvod attinet populi, Agricolę qvomodò cives ſunt, ſi armis deſtituti? qvomodò opifices, ſi agris & armis.

Aut cives non ſunt, aut cives ſimul & ſervi ſunt; quia militibus obnoxii, penes quos armorum poteſtas reſidet.

Si tamen cives; vel honorum participes ſunt, vel non ſunt: deinde, vel omnium, vel aliquorum.

Si non ſunt, animo à Republicâ alieni erunt; quam ſuam non putabunt.

Omnium verò eſſe non poſſunt; quia arma omnes non habent: ex his enim ſolis, ceu dignioribus, ſummus magiſtratus (στρατηγοὺς καὶ πολιτοφύλακας intellige) cooptatur.

Nec qvorundam: qvomodò enim

erunt?

erunt? Sanè potentiores sunt, qui armati; & plures, qui potentiores; ut suo etiam numero reliquos excludant.

Opifices quidem necessarii, sine quibus nulla Civitas est: & hi, ne aliunde vivant, suâ se arte sustentant.

Agricolę verò in qvem usum, nisi victum parent Militibus & præbeant? Hic verò sibi duntaxat vivunt, sibi agrum colunt, quia suum.

De victu qvoq; publico quid fiet, quo Milites alendi sunt? An hi ipsi qui arma gerunt, ad aratrum venient? sed sic Milites Agricolæ fient, & Respublica confundetur.

Dices: Erunt qui privatum, & erunt prætereà qui publicum colent agrum. Sed hi in nullâ jam parte Reipublicæ erunt, vel qvartum ordinem constituent, cives non cives

Præ-

Prætereà, quia pauciores, impares qvoq; gemino huic labori erunt: solum autem, quia negligentiùs, & minori coletur fructu, alendis simul Agricolis Militibusq; non sufficiet.

Lex de judiciis, nihil ad judicia facit: qvia enim & caussa communicanda est, & sententia dividenda, judicem, velut arbitrum facit.

Qvippe solenne juris scitum est, Ne capita inter se conferant, aut communi agant consilio, qui judicant.

Dividi etiam sententia nequit, nisi ut judicium fluctuet.

Dividitur autem, qvando à petitione actoris judices recedunt: diversum qvoq;, qvoties recedunt, judicaturi.

At perjurium Hippodamus metuit. Frustrà: nemo enim qui simpli-

pliciter vel abſolvit, vel condemnat, pejerare cogitur, qvando ſimpliciter lis intenta eſt.

Petuntur viginti minæ: debentur decem: qui abſolvit, non ſimpliciter abſolvit, qvaſi nihil debeatur; ſed quia non debetur, quod petitur.

Ad petitionem igitur, non ad veritatem ſententia referenda eſt.

Perjurus autem erit, vel perjurio proximus, qui cùm ſciat nonniſi decem deberi minas, vicenis reum condemnabit.

Rerum novarum utiliumq́; inventioni prçmia lege decerni, pulchrum magis, qvàm tutum eſt: quia non ſine calumniis, imò non ſine motu, aut majoris mali metu.

Sed non aliena Qvæſtio: An Leges patrias, antiquitus inſtitutas, novis & melioribus mutare fas ſit? Non ſimpliciter, niſi publica utilitas impellat.

Re-

Rebus autem in omnibus, semper periculosum est innovare, sæpè perniciosum.

Nonnullis tamen aliter visum, artium ac disciplinarum exemplo; qvæ qvia paullatim auctæ, utiliores evasêre: sed inter artes ac disciplinas Politicam censeri.

Prætereà, Priscis illis Institutis multum plerumq; imperitiæ ac simplicitatis inesse.

Græci olim nónne ἐσιδηροφοροῦντο, *cum ferro incedebant*? Ita hodiè Barbari, tanquàm armis, non legibus vivant, bellum vel in pace circumferentes.

Ampliùs: Nónne & uxores emere ac vendere soliti? Rudes igitur, ridiculi, stulti.

Apud Cumanos adhuc de cæde factâ lex est: Si accusator aliquem è consangvineis suis testium nume-

merum produxerit, reum condemnari ac plecti.

Omnibus profectò in rebus, non qvod usitatum, sed qvod bonum est, omnes qværunt.

Primos verò homines, sive è terrâ natos, sive è generis totius internecione superstites, bardos, stupidosq; fuisse versimile est.

Sanè adhuc qui stolidæ mentis sunt, terræ filios, atq; adeò *ἀρχαίους*, id est, *Antiquos*, appellamus.

Qvid etiam? Leges quæ ad tabulas relatæ sunt, imperfectæ sunt: antiquæ enim, & sic potissimùm mutandæ.

Ut enim in aliis artibus, ita in Politicis est: nihil autem primordio sui plenum ac perfectum.

Gradus quidam sunt: ac primò *καθόλου*, sive *universè*: paulatim, *ἀκριβῶς*, sive *exqvisitè*, &

ſingulatim ſcribi omnia ſolent.

Et leges quidem de actionibus humanis ſunt: actiones cùm inſingulis verſentur, non in univerſis, qvaſi infinitæ ſunt: ſingula autem nonniſi uſu & experientiâ obſervantur.

Qvid velim vides: Leges qvasdam, mutari aliqvando poſſe.

Alii tamen mutationem iſtam, damno & commodo velut collatis, religioſiùs expendunt.

Qvomodò? commodum, qvod mutatione qværitur, cùm magnum non eſt, magnum autem ſit damnum, quod ipſa mutatio adferat; melius eſſe, & in Legibus, & in Magiſtratibus, ut tolerentur qvædam, qvàm tollantur.

Imò meliùs, ut parva potiùs aliqua mala ſint, quàm inducantur, qvæ apparent tantum bona.

Neq;

Neq; enim qui mutaverit Leges, tantum boni dabit, qvantum mali, qui ad consvetudinem mutandi, & sic non parendi, cives duxerit.

Artes autem ac disciplinæ frustrà in comparationem adductæ sunt. Aliud namq; est, Artem mutare, aliud Legem.

Ars suis præceptis, Lex usu continetur, & valet. sed usus solo tempore robur sumit.

Dixeris, valere leges, qvæ diu fuerunt: vi & vigore spoliari, qvoties mutantur.

Mutentur qvoq;: An igitur omnes? & in omni sive Regni, sive Reipublicæ statu? Alius statuat.

CAPUT VII.

Respublica Lacedæmoniorum.

NOBILISSIMA Lycurgi institutis Sparta est: an tamen optimis? ánnon & alibi reprehendendis?

Ante

Ante omnia, ut Respublica sit, vitę subsidia & fulcra necessaria sunt? quę agriculturę beneficio habetur.

Sed qvinam agros colent? An cives? at decet eos, præsertim qui eminent ac pręsunt, à vili sordidoq; opere immunes esse.

An igitur servi? sed timendi sunt.

Penestæ quid non in Thessalos? Hilotæ quid non in ipsos Lacedæmonios moliti?

Securior quidem à Periœcis suis Creta fuit, quamvis eâdem conditione.

Civitates enim si qvæ bello collisæ, in auxilium non admittebant servitia hostium; ne eandem à suis perfidiam paterentur.

At Spartanis qvot vicini, tot hostes erant: Argivi, Messenii, Arcades: hostes qvoq; ipsi Hilotæ, qvoties occasio transfugiendi daretur.

Nec Thessalis fideliores Penestę, qvoties cum Achivis, Perrhæbis, Magnetibus bellum esset, in dominos insurgentes.

Hoc igitur genus hominum qvomodò tractes? Si indulgenter, insolescit, atq; à familiaritate fastum sumit: sin durè, odisse & insidiari incipit.

Etiam mulierum hîc licentia inutilis Reipublicæ, & gravis est.

Illæ tamen, ut alteram partem domûs, ita & Civitatis constituunt.

Unde ubicumq; extra legem & disciplinam vivunt, dimidium Civitatis malè se habere, & non esse Civitatem, dixeris.

Voluit qvidem comunem omnibus & promiscuam laborum tolerantiam Legislator inducere: sed qvomodò? si viros spectes, induxit; si feminas, nequaquam.

Hæ namq; in luxum & laſciviam effuſæ, qvia nullò freno retinentur, vitiis indulgent.

Ita, ubi luxuria viget, etiam in pretio opes ſunt, & avaritia naſcitur: ab opibus tamen Spartani vel Lege alieni erant.

Sed quia nimium uxoribus dediti, & tantùm non in earum poteſtate; haberi tanquàm exleges poterant.

Sanè populi ferè ubiq; bellicoſi, etiam γυναικοκρατούμενοι, ſive *imperio feminino obnoxii*: niſi Celtas excipias, in maſculorum amorem pronos.

Pulchrè ſic qvidem ac prudenter, qui Veneri Martem junxit. Martiales enim iſti omnes neſcio qvid venereum ſpirant, fortes & mulieroſi.

Itaq; Spartanus Mars ſuam qvoq; Venerem habuit: aliquod in viros fœminæ imperium, imò ali-

aliquod in Rempublicam ipsam.

Putes servos qvodammodò esse, qui præsunt; quia feminis subjecti sunt.

Sive enim rerum potiantur feminæ, qvæ ad parendum natæ sunt, sive sub imperio feminarum sint viri, quibus datum est potiri rerum, eadem incommoda sunt.

Audacia an utilis sit, bello, non pace statuas. Sed Lacenæ, pressâ à Thebanis duce Epaninondâ, urbe, minùs qvàm feminæ fuerunt; & majori tumultu qvàm ipsi hostes.

Feminæ, sed uxores tamen: quę ad bellum Argivum, nec non Arcadium, Messeniùmq; profectis maritis, diuq; absentibus, hoc cepêre solatii, ut plus jam qvàm uxores fierent

Dignum verò aliqui excusatione Lycurgum censent; qvasi facilio-

res

res ad leges viros, qvàm feminas habuerit.

Viros enim, quia militiæ obnoxios, & obſequio aſſuetos, Leges in otio nullo negotio amplexos eſſe: mulieres, ut ingenio libero ac pravo aſpernatas.

Sed profectò culpa ſic major in Legiſlatorem recidit. Qvippe non tam qværitur, cui venia danda ſit, vel non ſit; ſed qvid benè, aut ſecùs inſtitutum.

Cæterùm, non poſſunt ſolutæ legibus haberi feminæ, niſi ut publicè privatimq́; protervæ ac turpes ſint; ac deinde ſumptu dapſiles avaritiam inducant.

Etiam poſſeſſionũ inęqvalitas reprehenſione digna, Magno namq́; Reipublicę vitio magnę nonnullis fortunæ ſunt, aliis curtæ & exiguæ.

Et qvid mirum igitur, univer-

versum ad paucos agrum trahi?

In caussâ Leges, qvæ cùm vendere aut emere bona non permitterent, non prohibebant tamen, vel donare mortis caussâ, vel legare.

Eodem prorsùs hîc incommodo: non minùs enim transfert & alienat qui donat, qvàm qui vendit.

Et qvantùm igitur ab Æqvalitate recessum est! E qvinqꝫ agri partibus duæ propemodùm feminarum sunt, beneficio successionis, ac dotis.

Successionis, qvæ uberrima feminis, quia multi bello viri pereunt.

Dotis, qvæ cùm modum omninò excedat, huc potiùs redigenda erat, ut vel nulla esset, vel certè temperata.

Nunc etiam parenti jus est, filiam cui velit nuptum dare: volet autem non nisi ditiori. Qvod si intesta-

testatus ille moriatur, dandi potestatem proximus hæres capit.

Hinc jam facilè colligas, cur ager Spartanus, qui mille qvingentis aliquando equitibus, peditum decem millibus par erat, vix jam mille alat.

Ad feminas nimirum magnâ ex parte devolutus est.

Sic qvidem ab inæqvalitate possessionum civium paucitas nata est, & hinc calamitas.

Tam facilè enim cadere Sparta potuit, qvàm lædi: siquidem una plaga exitio satis; una, inquam, in prœlio Leutrico accepta.

Qvia longis igitur bellis consumi cives poterant, existimant aliqui, à primis Regibus peregrinos quoque in civium numerum adscitos.

Esto: exæqvatione tamen bonorum malim, qvàm aliis modis freqventiam inducere.

Lex etiam, qvæ de liberis creandis lata, obest: multitudo qværitur, & impeditur.

Cùm hoc agit Legislator, ut liberorum quisq; fœcundus sit; hoc agit simul, ut diviso magis agro, cives non plures reddet, sed pauperiores.

Et qvæ igitur ista lex? Qvi trium est liberorum pater, ab excubiis immunis vivito: qui qvatuor, ab oneribus qvibuscunq;.

Jam verò Ephororum magistratus non rectè se habet. Summus est, & tamen è plebe.

Qvid? qvia paupertati potestas jungitur, aut iniqua, aut venalis est.

Exemplum non unum: sed novissimum in Andriis, sive Sodalitatibus cœnisq; publicis; ubi corrupti nummis Ephori Rempub-

publicam qvasi everterunt.

Et qvæ hæc potestas? nimia, & propè tyrannica: cùm Reges qvoq; ipsos obnoxios habeat, non sine manifestâ Reipublicæ læsione.

Etenim Aristocratia in Democratiam commutata est.

Qvid tamen? Et laudes hoc imperium Ephororum, & damnes; sive casu, sive consilio constitutum.

Laudes, tanqvàm fulcrum civitatis atq; vinculum. Plebs enim tàm eximiâ dignitate delinita non facilè ad res novandas consurgit.

Omninò publicè utile est, sic distribui Civitatem, ut se qvisq;, tanquàm membrum tanti corporis sciat.

Utile, sic distribui munia, ut communia sint, & privati cujusq; desiderio sufficiant.

Fiet sic qvidem, qvod laudatissimum

ſimum eſt: ut præſentem civitatis ſtatum commutari nemo velit.

Imò fiet alibi, qvod Spartæ fit: Reges, Senatores, Ephori erunt.

Iſti diadematis ſplendore & poteſtate contenti, quia ſupremi.

Illi honore, ceu virtutis præmio, cùm honeſtiores ſint.

Hi prærogativâ ſuâ, qvæ quia plebejis conceditur, & ſic omnibus in officio omnes continet.

Damnes tamen Ἐφορείαν; qvia plebeja eſt, & à reliquâ Reipublicæ conſtitutione aliena.

Qvomodò feras, homines proletarios judiciis maximis præfici? non è legum præſcripto, ſed ſuo arbitratu ſententiam ferre? de civium famâ & capite ſtatuere; imò Regum?

Qvomodò etiam, in extremâ morum aſperitate, luxu eos diffluere,

re, qui cùm imperium ſumunt, è plebe ſe eſſe obliviſcuntur?

In extremâ, inqvàm: qvæ cives plerosq́ vix ſinit homines eſſe: & ſic magis in voluptates furtivas ſtimulat.

Sed nec in ſenibus ſive Senatoribus ſana omnia. Probi licet ſint, malè tamen perpetui.

Sua ut corpori, ita & animo ſenectus eſt: non ſemper laboribus corpus, nec ſemper conſiliis animus aptus eſt.

Probitas etiam an hîc ſecura ſemper? Legislator dubitavit: qvædam enim ab ipſis removere Senatoribus judicia voluit.

Et ſatis hi qvoq́ oſtendunt, nihil á ſe humani alienum eſſe, nunc ſordidi, nunc ambitioſi.

Et cur igitur à rationibus qvoq́ reddendis immunes?

An hoc ſatis, Ephoris inqvirendi jus & poteſtatem eſſe? Malè eſt, qvod nimis eſt; & qui malè reddit rationem, reddit, quaſi non reddat.

Modus qvoq; creandi Senatum pucrilis eſt; qvia à populi acclamantis favore dependens.

Imò perverſus eſt, cùm nemo aſſumatur, niſi qui petit; nemo ferè ſoleat petere, niſi qui ambitioſus eſt.

Merentem eligere qvantò ſatiús erat! Sed qui meretur, velit nolit, eligendus eſt.

Hîc autem, quia mereri ſatis non eſt, ambitio fovetur: ingens malum, præſertim ſi avaritia accedat.

Nemo enim in Republicâ ſponte peccat, niſi qui aut ambitioſus, aut avarus eſt.

De Regibus an dicemus? Hi bini, & è genere Heraclidarum. Præſtabat

bat autem, virtutem ſpectare, qvàm genus.

Bini, inqvam, ſunt; quaſi aliter boni eſſe non poſſint. Spartani ſunt; ſed nec id ſatis, ut boni.

Homines eſſe, & malos eſſe poſſe, ipſe Legislator confeſſus eſt; quia non uno freno coërcuit.

In Legationem ituris dari collegæ, ſed tanquàm arbitri ſolent; eò acriores, quia infenſi & infeſti.

Qvid etiam? Inter arcana Regni fuit, Reges diſſidere: diſcordiâ in ſalutem computatâ.

Scilicet, ſi mali eſſent, nihil à discordibus metuendum erat mali: ſi concordes, nihil oberat bonos eſſe:

Aliquid etiam abſurdi φιδίτια, ſive *publicæ* illæ *Cœnæ* habent: qvia non ut in Cretâ, publico ſumptu; ſed privato cujusq; fiunt.

Ita verò qvod tanquàm ſolatium erat,

erat, in onus commutatum: & quia plures hic pauperie premuntur, non possunt ali publicè, nisi ut privatim pereant.

Alia tamen Legislatoris mens erat: delinire plebem, qvæ nunc misera est; & æquare ordines, qui nunc separantur.

Etenim symbolæ qvisquis impar est, lege à Phiditiis arcetur: ab omni autem honore & magistratu seclusus est, quem Phiditia non recipiunt.

Navarchos, sive classis Præfectos instituere, id verò erat fluctus in Republicâ excitare.

Reges autem cùm perpetui belli Duces sint; non possunt Præfecti classis esse perpetui, nisi tanquam Reges sint.

Hâc igitur ratione potestas potestati infesta est, regnum regno.

Scopus ipse, qvem sibi Legislator proponit, reprehendendus est; quia à felicitate alienus.

Una in pretio virtus rei militaris: & huc diriguntur leges omnes; ut qui pugnant, possint vincere, pace, ob qvam pugnant, neglectâ.

Qvid factum? qvamdiu bello occupati, fuerunt incolumes: imperio potiti perierunt.

Omninò facilius est, vincere qvàm regere; in armis, qvám otio esse, qvando artes, quibus pax colitur, non discuntur.

Hinc & ille error: qvòd cùm bona Fortunæ, ob qvæ geruntur bella, virtute putent, non ignaviâ parari; bonis tamen virtutem postponant.

Mireris deniq; sterile, aut nullum Ærarium esse, bellum continuum: ad arma promptos, ad

tributa

tributa lentos ac remissos. Sed hæc etiam Legislatoris culpa est, qui privatum conatus augere censum, publicum imminuit: qvo gemino malo, ad avaritiam cives, ad inopiam Civitas venit.

Caput VIII.

Respublica Cretensium.

SPARTANÆ Reipublicæ velut mater Cretensis est: ut non deterior in paucis; ita rudior in plerisqꝫ, qvia antiquior

Rerum hæc conditio est: formam paullatim & elegantiam sumunt, ab origine imperfectæ.

Lycurgus, abdicatâ Charilai tutelâ, in Cretam profectus, cùm apud Lyctios, Lacedæmoniorum colonos, ageret, Minoïs collegit Instituta, atqꝫ Spartam transtulit.

Non frustrà autem in Cretam;

qvæ ad imperium Græciæ à naturâ quasi facta & collocata est, mari undiq; imminens, populisq; per disjuncta litora circumfusis.

Minos ipse, munito novis Legibus Regno, arma, & vivendi simul ritus in Græciam, insulasq; invexit, donec & Siciliam aggressus, interiret.

Instituta utriusq; hujus Reipublicæ examinanda sunt, & similitudo apparebit.

Ut apud Spartanos Hilotæ sunt, qui agros colunt: ita apud Cretenses Periœci.

Deinde utrobiq; Sodalitates, sive Convivia publica, eodem aliquando nomine. Qvæ enim Phiditia Spartanis, primò Andria appellata: Andria autem adhuc Cretensibus dicuntur.

Forma qvoq; Reipublicæ ac descriptio

ſcriptio: apud illos Ephori, apud hoſce Coſmi: diverſi numero, iidem poteſtate.

Ephori qvinque duntaxat, tanquàm pauciores Coſmi: Coſmi decem, tanquàm plures Ephori.

Senatus pari utrobiq; ratione & auctoritate: è ſenibus enim: & ſic apud Spartanos γερουσία *Senatus*; apud Cretas βουλὴ *Conſilium.*

Regnum qvoq; olim apud Cretes: ſed tradito posteà Coſmis belli imperio, abrogatum.

Concionis omnes participes ſunt; non ut arbitrio ſuo qvæ agenda ſunt ſtatuant, ſed ut ſuffragio ſolùm quæ à Senibus & Coſmis ſtatuta ſunt, confirment.

Convivia publica in Cretâ magis, quàm Lacedæmone publica ſunt. Hîc enim ſuam qvisq; ac præfinitam ferre ſymbolam cogitur, aut

Civis esse definit; illîc è fructibus & vectigalibus publicis sumptus fiunt.

Omninò, qvicquid ad cultum Deorum pertinet, qvicquid ad munia Urbis & alimenta, de publico sumitur: sic viri omnes, feminæ, pueri vivunt.

Victûs ratio laude imprimis digna est, quia ad regulam qvodammodò Sapientiæ redacta, usui, non luxui servit.

Qvid connubia? ne prole gravarent domum, adjuncta divortia habent.

Sed an ideò ad puerorum consvetudinem voluptas ducenda est? Qvid agis Minos? aut quid naturæ adversaris? Venerem sine muliere coli, nefandum est.

Cosmos verò cum Ephoris si compares, rectiùs multò se Sparta habet. Qvic-

Qvicquid in Ephoris vitii, etiam in Cosmis; & amplius in Cosmis, qvàm Ephoris.

Ex omnibus eliguntur Ephori, è paucis Cosmi: præstat verò ex omnibus; ut ad se qvisq; Rempublicam putet pertinere, salvámq; cupiat.

Senes qvoq; non nisi è Cosmis, id est paucis: quę quidem ratio non tam Reipublicæ, qvàm Paucorum statui apta est.

Sed rationem non reddere, & perpetuum esse munus, tam apud Spartanos, qvám Cretes nimium, ac notâ dignum est.

Pariter non è formulâ scripti juris, sed pro suo qvemq; arbitratu Rempublicam administrare, periculi plenum est.

Et qvid mireris, durasse sic tamen Cretensium Statum? Insulam

cogita

cogita: non meliores Cosmos Ephoris, sed tutiores fuisse.

Si delinqvant verò, præceps, imò factiosa medicina est: nam vel à Collegis, coïtione factâ, vel à Privatis qvoq; urbe proturbantur.

Licet interim, ut pœnam evadat, & urbem retineat, noxio aut turbulento munus abdicare.

Qvantò igitur satius tutiusq; lege hæc omnia, qvàm libidine fieri, si fas fieri.

Vitium hîc qvoq; decumanum, petulantia Potentum: malunt enim fluctus in Republicâ concitare, populumq; factionibus collidere, qvàm pœnæ obnoxii esse.

Hæccine Respublica? factio, imò dynastia est; qvam disjunctis à populo amicis usurpant, qui cùm rei sunt, Reges videntur fieri.

Non esse Civitatem cogita, qvæ tur-

turbata eſt: perire poſſe, qvæ concuti poteſt.

Sanè, periculo aut ruinæ proxima eſt, qvam qui volunt, & cùm volunt invadere, etiam poſſint.

Ad ſummum, Creta inſula eſt: mari clauſa arcet peregrinos, & in officio Periœcos continet.

Sed quid? invadant hoſtes: imbecillitas apparebit; imò jam apparuit.

Si rectè rationem inis: undis magis, qvàm legibus Cretes muniuntur.

CAPUT IX.

Reſpublica Carthaginienſium.

ETIAM Carthago egregiis inſtitutis eminet, aliquid ſive Spartæ, ſive Cretæ repræſentans.

Hinc formam ſuam, licet popularem, ſervat; tam qvieta, qvàm li-

bera; nec ſeditionem, memorabilem qvidem, nec Tyrannum paſſa.

Amicorum hîc Sodalitates, tanqvam Spartanorum Phiditia ſunt: Centum qvoq; qvatuor viri, tanquàm Ephori.

Et tamen Centum hos qvatuor viros malis; quia non ex omnibus, ſed ex optimis creatos.

Reges malis etiam, neq; ex eodem ſemper genere, neq; è qvovis, ſed è præſtantiori deſumi.

In Senatu autem non tam ætatem aut cognationem, qvàm virtutem ſpectari.

Viles enim, & è fæce homines ſi honore & poteſtate augeantur, Reipublicæ graves ſunt; ut jam Spartæ fuerunt.

Sed Carthago & promiſcuis, & propriis vitiis laborans, à formâ primigeniâ deflectit.

For-

Forma ex Ariſtocratiâ & è Republicâ mixta eſt: at Inſtituta partim in Oligarchiam, partim in Democratiam diriguntur,

Qvid enim? Reges cum Senatu deliberant & ſtatuunt: ad populum autem vel referendi, vel non referendi poteſtatem habent.

Si conſentiunt, non referunt; ſi non conſentiunt, referunt: populus ſic verò plenam deliberandi, & ſtatuendi poteſtatem capit.

Qvinqueviros vide, magnarum rerum arbitros Hi centumviros, & ſe è Centumviris eligunt, in demortui locum collegam ſubrogando: qvod Oligarchicum eſt.

Hoc etiam: prorogari imperium, dum qui ſic eliguntur, & à Centumviratu ad Qvinqueviratum tranſeunt, intumeſcere ſolent, adeoq; poſt ipſum qvoq; Ma-

gistra-

giſtratum imperium retinere.

Laudes tamen, ſine mercede ullâ Magiſtratum geri; non ſorte, ſed ſuffragiis creari: qvod Ariſtocraticum eſt.

Imò laudes, nec judicia dividi, nec judices Tyrannos eſſe.

Spartæ enim non ſine vitio cauſſas capitales Senatus, civiles Ephori decîdunt: alius aliam, hic de nuptiis, ille de teſtamentis, iſte de contractibus.

Nihil verò ineptius, qvám opibus omnia in Republicâ æſtimari: in Magiſtratu deſignando non virtutis tantùm, ſed & opum rationem haberi.

Negant ſcilicet fieri poſſe, ut egeat qvisqvam, & regimini aptus ſit: pauper ſit, & otium agat.

Qvid igitur? divitiis cenſeri Oligarchicum eſt; virtutibus, Ariſtocra-

craticum: videntur verò Ariſtocra-
tiam Carthaginienſes cum Oligar-
chiâ, Legislatoris vitio, cõfundere.

Ita potiùs ordinanda Reſpublica erat, ut in otio qvisq; extra egeſtatem atq; dedecus viveret; ſibi privatim, & publicè civibus ſufficeret.

Omninò, poſcit divitias otium, qvod in Magiſtratu occupatur: ſed divitiarum haberi ratio non poteſt, niſi ut Magiſtratus Venalis ſit.

Hîc autem pluris divitiæ qvàm virtus eſt, civiumq; animi, qvodam velut veneno imbuti, avaritiæ mancipantur.

Etenim, qvicquid Rectoribus urbis in pretio erit, à civibus qvoq; æſtimabitur: illorum ab exemplo horum opinio dependet.

At verò ubi ſummum virtuti pretium non perſolvitur, fieri non poteſt, ut Ariſtocratia vim ſuam obtineat.

De-

Deinde, pretio qvisquis ad Magistratum venit, & cum sumptu honorem habet; qvęstum qvęret: vendet qvi emit, vel ideò quia emit.

Minùs autem à paupere & probo, qvàm divite & improbo metuendum est.

Tam enim in publico munere rei studebit privatæ, qui improbus & dives est, qvám qui pauper & probus.

Itaq; qui ex virtute gerere Magistratum possunt, gerant.

Legislatoris autem erat, postquàm paupertatem bonorum neglexerat, præcavere, ut qui præessent, remotum à sordibus otium nanciscerentur.

Vitiosum hic qvoq;, plura uni munia, qvemadmodum opera, mandari. Unum namq; tum fit optimè, cùm ab uno.

In urbe verò non exiguâ popula-rius erit, ab uno ad plures munia extendi; singula ad singulos.

Ita in re bellicâ, vel etiam navali. Utrobiq; enim, cùm nemo sit, qui non vel imperet, vel pareat; per vices tamen qvisq; agit qvod suum est: commutat opus, ne cumulet.

Qvid tandem? Cùm in Oligarchiam suo qvasi morbo ratio regiminis inclinet, à divitiis remedium est: utile qvidem, sed plerumq; incertum.

Utile, dum vicinis coloniis Præfecturisq; urbium populus ditatur, & novam libertatis fiduciam viresq; sumit.

Incertum, quia à Fortunâ magis, qvæ incerta, qvàm à bonâ institutione dependet.

Legislatoris autem erat, certum, firmum, ac validum dare; aut certè ad-

adverſus motus ac metus bonis Rempublicam legibus munire.

Nunc, ſiqua tempeſtas ſurgat, & ab obſequio cives abeant; nullum à legibus ſubſidium erit.

CAPUT X.

Reſpublica Athenienſium, ſive Solonis, aliæq; aliorum.

REmpublicam ſcribere nonnulli potuerunt, qvam ne attigerant quidem, ingenio publici & Politici, vitâ & conditione privati.

Gerere, & ſimul Legibus ordinare, majus eſt: gerere ſuam, ordinare vel ſuam, vel etiam alienam.

Suam Lycurgus, de quo dictum eſt: & Solon, de quo dicendum.

Hic igitur inter Legum Conditores fuit, atq; Rempublicam ſuam ſimul conſtituit, laude, & fortaſſis reprehenſione dignus.

Lau-

Laude, qvòd abolitâ Oligarchiæ intemperantiâ, & qvasi Tyrannide, Priscum civibus jus reddidit, totam pulchrè Rempublicam formando.

Senatus quidem Areopagiticus ad Oligarchiam pertinet, in quem non nisi optimi & certis dignitatibus functi cooptantur: electio Magistratuum & suffragia, ad Aristocratiam: ratio judiciorum, ad Democratiam.

Sed Legislator reprehensione qvoq; dignus videtur, qvòd enervatâ qvodammodò Optimatium potestate, judicia ad populum, & ad sortem transtulerit: ad judicia, qvicquid majoris momenti in Republicâ tractaretur.

Qvid factum? qui populo tanquàm Tyranno blanditi sunt, fœdâ adulatione Democratiam, qvæ adhuc

adhuc obtinet, introduxêre.

Ephialtes, & Pericles Senatum Areopagiticum depressum ivêre.

Hic etiam Iudicibus mercedem primus constituit; & qvid nisi mercenariam Justitiam fecit?

Ad eundem modum Demagogi deinceps, alius aliud moliti, qvantum quis populo addidit, Reipublicæ detraxit.

Et qvomodò tamen? casu magis, qvàm consilio illius, qui accusatur.

Etenim populus navali imperio Persis ad Salaminē devictis, in superbiam elatus, duces noluit, nisi qui adulatores essent; regi noluit ab iis, qvos obnoxios haberet.

A Solone igitur, qvantum exigebat urbis salus, populus accepit: jus creandi Magistratum, & administratę ab iis Reipublicæ poscendi rationem.

Utrum-

Utrumq; verò nisi acciperet, servus esset, imò velut hostis insurgeret, necessum erat.

Magistratus omnis, ut olim, è Patriciis, & opulentis.

Qui igitur opulenti? Pentacosiomedimni, sive censu qvingentorum medimnorum; Equites, trecentorum; Zeugitæ, ducentorum.

Sed nullo Thetes erant, sive mercenarii, & sic in nullo Magistratu.

Ne solum hîc Solonem laudem, accedat & Zaleucus, qui Locris Epizephyriis; & Charondas Catanæus, qvi Civibus suis, & Chalcidensium in Siciliâ Italiaq; coloniis leges scripsit.

Volunt tamen aliqui, ævo & usu Onomacritum antecessisse, gente Locrum, incolatu Cretem, etiam divinandi arte instructum.

Hujus sodalem fuisse Thaletem,

Tha-

Thaletis auditorem Lycurgum, nec non Zaleucum; Zaleuci verò Charondam.

Sed quid? De Onomacrito ratio temporis incerta est: de reliquis perturbata.

A Lycurgo enim ad Thaletem trecentos & ampliùs annos fluxisse, calculi indicant.

Clarus etiam Legibus Philolaus fuit, qvas Thebanis ipse Corinthius, & antiquo Bacchiadarum genere, dedit; juxta Thebas, & juxta Dioclem suum, Olympionicen, sepultus.

Et qvas leges? varias; sed præcipuè Theticas, sive de Adoptandi jure: quo sortes, sive agrorum partes, assignatę singulis, stabiliuntur.

Charondas autem primus de perjurii pœnâ scivit, tam accuratè & eleganter, ut laudem etiam aliorum extinxerit. De

De communione uxorum, liberorum, bonorum, & feminis ad publica convivia admittendis, Plato.

De ebrietate qvoq; , & Symposiarchis, qvos ſiccos ſemper & ſobrios eſſe voluit.

Inſuper de exercitatione militari, ac præcipuè, ut milites ἀμφιδέξιοι, ſive *ambidexteri* fierent: ratus, viri eſſe, non alterâ, ſed utraq;, qvoties opus, manu uti, & pugnare poſſe.

Draconis leges ſolâ acerbitate nobiles ſunt, tanquàm ſangvine conſcriptæ: quibus non conſtituta Reſpublica: ſed duntaxat emendata.

Pittacus Sapiens, ac Mytilenarum Princeps, Leges magis, qvàm Rempublicam condidit.

Huic ut conſuleret, temulentorum contumeliam duplo majori pœnâ afficit.

Plu-

Plures enim, sæpiusq; homines, licet magis non peccent, per temulentiam contumeliosi sunt.

Dixeris fortè, non quia minùs peccant ebrii, sed quia sui non sunt cùm peccant, veniâ dignos esse.

Contra Legislator, pœnam, qvàm veniam usurpare maluit; ut majorem utilitatis publicæ, qvàm æqvitatis rationem haberet.

Agmen Andromedas claudat, Rheginus patriâ, qui Leges Chalcidicensibus in Thraciâ tulit.

Leges de cædibus, ut volunt, deq; hæreditatibus, qvæ ad filias, parentibus orbas, devolvuntur.

Sed quid? ut ingeniorum qvoq; fatum est, Periisse puto, qvæ hujus exstare Scriptoris volunt: peritura tandem, qvæ multorum exstant.

ERYCI PUTEANI
BAMELRODI
CIVILIS DOCTRINÆ LINEÆ,
QVIBUS
ARISTOTELIS
POLITICORUM
LIBER TERTIUS.
Ad Perpetuos reductus APHORISMOS, *repræsentatur.*

ARGUMENTUM.

REMPUBLICAM *Civitas habet, Civitatem Civis, sed Magistratus & imperii capax. Advenæ, pueri, senes, cives non sunt: ut nec Civitatem mœnia, sed forma Reipublicæ facit. Viri boni,*

& Civis virtus, imperantis, & obseqventis. Formæ autem Rerumpublicarum vel rectæ, vel pravæ. Rectæ: Monarchia, sive Regnum, Aristocratia, sive Optimatium status, Democratia, sive populi. Pravæ, & his oppositæ: Tyrannis, Oligarchia, Democratia. De Magistratu interim Qvæstio: Bonis, an Nobilibus; item, Divitibus, an Plebi rectiùs committatur. Summa deniq; argumenti, Monarchia, & Aristocratia. Illam optimam & antiqvißimam esse, humano generi imprimis utilem, & qvasi à Naturâ.

CAPUT I.

Civitatis, & Civis ratio.

CIVITAS Rempublicam, tanquàm corpus animum continet: Respublica Civitatem, tanquàm animus corpus. Altera sine altera nec tradi poteſt, nec intelligi.

Etiam

Etiam hodie dubitari ſolet, Civitas egerit, an non Civitas, qvod vel pauci in Oligarchiâ, vel unus in Tyrannide.

Viri ſanè Politici, & Rempublicam tractantis officium omne in Civitate verſatur.

Eſt autem Civitas MULTITUDO CIVIUM: Reſpublica, MULTITUDINIS ORDO ATQVE DESCRIPTIO.

Civitatem intelliget, qui Civem; ut totum, qui partes: partes enim Civitatis Cives ſunt.

Sed Civis appellatio varia, cenſûs, loci, juris, judiciorum ratione.

In Democratiâ Civis eſt, qui liber eſt: in Oligarchiâ, etiam fortunæ ſpectari ſolent.

Adſcripti impropriè qvoq; Cives ſunt: non enim patriâ, ſed Privilegio; non nati, ſed facti.

Habitare etiam ſatis non eſt, Qvippe & inqvilini, & ſervi habitant; Cives tamen non ſunt.

Non etiam in jus vocare, aut vocari ſatis: nam & non Civibus tribunal patet, tanquàm Cives ſunt, commerciorum qvodam fœdere, pacto, ſymbolo.

A qva interim prærogativa inqvilini remoti, feminarum inſtar, Patronum ſoliti, ſi jus ſuum perſeqvantur, dare.

Pueri qvoq; & ſenes Cives qvodammodò non ſunt, quamvis ſint: illi, quia necdum maturi; hi, quia emeriti & effœti.

Qvid exules deniq; ? quid ignominiâ notati? Tanquàm non vivant vivunt, in eorum numero, qui nullo ſunt, niſi quod fuerunt.

Illi ſine Patria, ne inter Cives ſint: hi ſine fama, tanquàm

Patriâ

Patriâ etiam inter Cives careant.

Solo igitur imperio & Magiſtratu Civis; Civis eſt; pars Reipublicæ, ſi functionis in Republica particeps.

Sed Magiſtratus, vel tempore Circumſcriptus eſt, vel perpetuus. Circumſcriptus nonniſi ſemel ſingulis, vel ex intervallo capeſſendus,

Perpetuus partim penes Judices, partim penes Conſultores.

Ac licet qui judicant conſultantq; ſine imperio ſint, & imperium penes Magiſtratum; quia tamen poteſtate publicâ præditi, non poſſunt non tanquàm in Magiſtratu cenſeri.

Sed ut non una Reipublicæ forma; ita non pari modo Civis appellatur: & ut non omnis recta & prima; ita unus omnibus idem non eſt,

In Democratia Civis eſt, qui

fortassis in Tyrannide, & Oligarchia non est: Civis tamen, sed aliâ atque aliâ ratione.

Civis igitur hîc propriè Democraticus est: alibi necessariò non est, quamvis esse possit.

Imò Civis hîc non judiciorum tantúm, sed & concionum, consiliorumque particeps est.

In nonnullis verò Rebuspublicis, neque populus deliberat, neque conciones in usu.

Alibi & judiciorum ratio diversa; ut Lacedæmone, & Carthagine.

Lacedæmone rerum contractarum caussę penes Ephoros; sed non omnium penes omnes: Capitalium penes Senes: aliarum penes alios.

Carthagine omnes penes aliquem omninò Magistratum, qui judicandi, & deliberandi potestatem habet.

Alibi quidem judicia & consilia certorum duntaxat hominum sunt: in Democratiâ, qvæ maximè Reipublicæ nomen meretur, omnium sed ordine, & tempore, & de rebus omnibus.

COETUS igitur CIVIUM CIVITAS est. Civium, jure suo judicantium, deliberantiumq; : cœtus, rerum copiâ ad usus necessarios instructus.

Nonnulli tamen populariter, Civem non imperio, sed origine definiunt, utroq; parente Cive natum; imò Civibus avis, proavis, abavìs, atavis, tritavis.

Populariter, inqvàm, & perperàm: de omnibus enim qværi poterit, qvod de uno; de primo, qvod de ultimo.

Primus aliquis, & in Civitatem receptus, quia è Cive natus non

efi,

eſt, ne Civis quidem eſt: ergò nec ſecundus, quia ex non Cive? nec tertius, nec ullus.

Qvid Gorgias Leontinus? ut joco rem abſolveret, Lariſſæos, tanquàm mortaria eſſe, & fieri; vaſa ab artificibus, tanquàm parentibus; Cives à Lariſſæis, tanquàm artificibus.

Ad rem: Si Civis tantùm, qui naſcitur è Cive; Conditores urbium & Auctores, Cives non ſunt, cùm maximè ſint, & omnes fecerint.

Major de peregrinis, ſervis, inquilinis difficultas eſt, in Civitatem, mutatâ Reipublicæ formâ, adſcriptis.

Athenis ſiquidem Cliſthenes, exactis Piſiſtrati filiis, Civitatē Civibus exhauſtam, ſervitiis implevit.

Gemina hinc qvæſtio oritur, non quidem, an veri hi Cives ſint; facti enim ſunt: ſed an jure facti?

De-

Deinde, si non jure, an pro veris habendi? eadem namque falsi & injusti ratio est.

Sanè, ut qui injustè imperat, imperat tamen: ita qui non jure Civis factus, Civis tamen est.

Jus enim Civitatis imperio definitur: & imperii Civis capax, quia Civis est, judicare, ac deliberare potis.

Sed quid jure, aut injuriâ fiat à Civitate, & à non Civitate, ex forma Reipublicæ disceptatur.

Non Civitas, vel Tyrannis, vel Oligarchia videri possit: sed ex utraque formari Civitas potest, deflectente ad plures unius, vel paucorum imperio.

An igitur qvæ unus ille, vel pauci egerunt, vigorem apud plures obtinent? dubites.

Unus enim, vel pauci suâ maximè

caufsâ; plures publicâ agunt; hi jure, illi & iſte injuriâ: hi quia Civitatem habent, illi & iſte tanquàm non habeant.

Qvid tamen eſt? ut plures, qvando vitio plures, non agunt jure omnia, quamvis & habeant civitatem, & obligent; ita unus vel pauci, quamvis non habeant, habere tamen videntur, quam obligent.

Caput II.

Qvomodo, & qvando Civitas eadem, & non eadem.

RERUM omnium mutatio eſt; etiam publicarum & imperii, quo Civitas continetur.

Hæc cùm alia eſt, eadem vulgò videri poteſt; cùm eadem, alia: poteſt loco, populo, formâ.

Locum, & populum conſiderare facile eſt, formam, plus negotii habet, & ſapientis munus eſt.

Sepa-

Separari à loco populus poteſt, urbs à Civitate. Urbem enim locus facit, populus Civitatem.

Una igitur mœnia unam Civitatem non faciunt; unis enim includi Peloponneſus qveat, qvæ una nunquam Civitas ſit.

De Babylone quid dicemus? Aliquid Peloponeſi habet. Qvid? gentem potiùs, qvàm Civitatem videri Aliquando capta, etiam tertio qvàm capta eſſet die, aliquâ alibi parte adeſſe hoſtem neſcivit.

Sed de modo ac magnitudine Civitatis, item una, an plures nationes unam faciant, Politica qvæſtio eſt, ſuo etiam loco tractanda.

Et unam ponamus nationem, unum populum eſſe; an alii, qui paullatim naſcuntur homines, aliam qvoq; Civitatem facient?

Sane, fluvii, & fontes, aliâ & aliâ

fluunt aqvâ, iidem tamen ſunt.

Eosdem an hâc imagine homines dixeris, non eandem Civitatem? imò eandem Civitatem, non eosdem homines.

Etenim Civitas ſocietas eſt, hæc hominum: mutetur forma ſocietatis, alia Civitas erit: maneat forma, mutentur homines, non erit.

Scenam examina: Soccus & Cothurnus chorum mutant, hęc forma eſt: Comicus Cothurnum induat, Tragicus Soccum; alia forma erit.

Et Muſicam examina: alia Dorica, alia Phrygia eſt: quia alia modulorum, eisdem licet vocibus forma.

Rempublicam pariter: alia forma aliam Civitatem, & aliam qvoq; appellationem Reipublicæ faciet: non quia alii homines ſunt, ſed quia alia forma.

Ma-

Maneat forma, mutentur homines; eadem Civitas erit, eadem appellatio.

Sed an Civitas, mutatà formâ, pactis anteà initis alligetur, alia qvæstio est.

Caput III.

An eadem Civis Boni & Viri Virtus.

DE Cive satis: nec satis, nisi & Virtus ejus explicetur: an eadem illa Viri, & Civis: & an uterq; eâdem bonus sit.

E Cive Virum intelligas, è Bono Bonum: aliter, non aliter, Civis & Vir Boni erunt.

Ut plures in navi nautæ: ita in Republica Cives sunt: navis enim imaginem Respublica habet.

Omnes nautæ, sed alio alius munere: hic gubernator, ille proreta, iste remex.

Diffe-

Differunt inter se singuli, & in singulis: unum tamen omnium opus; unus finis, felix navigatio.

Differunt & Cives in Republica: qui cùm alia alii, hoc tamen agunt unum omnes, ut felix societas sit, qvam Rempublicam nominamus.

Virtus igitur in Cive necessaria est, & vel maximè ad felicem Reipublicæ statum facit.

Sed cùm una non sit Reipublicæ forma; non una qvoq; simpliciterq; perfecta Civis Boni virtus erit.

Unam autem perfectamq;, & ex uno omnium nexu, Viri Boni Virtutem esse, manifestum est, nec aliter dici Bonum.

Imò Bonum Civem non semper Bonum Virum esse, nec eâdem cùm Viro Bono virtute instructum.

Non in omni qvoq; Republicâ civis Boni eadem virtus est, in omni, Viri est. In

In optimâ quidem, qvæ Optimatum eſt, Boni omnes Cives ſunt; certè eſſe debent: non Viri tamen omnes Boni. Suum omnes officium faciunt; ſed ut Boni Cives, non ut Boni Viri.

Boni autem Civis virtus in omnibus Civibus neceſſaria eſt: quæ ſic quidem optimam Civitatem facit: in Viris non eſt, niſi omnes dicamus eſſe Bonos.

Inſuper, Viri Boni inter ſe ubiq; ſimiles ſunt; quia eandem ubiq; virtutem colunt: Cives diſſimiles; quia alio alioq; funguntur munere, quo Boni, imò quo Cives ſunt.

Ipſa Civitas hâc diſſimilitudine ac varietate conſtituta eſt: una eſt, ſed partes ſuas habet.

Eſt tanquàm animal, quod animo conſtat & corpore; tanquàm animus, qui ratione & cupiditate; tanquàm

quàm domus, qvæ viro & muliere; tanquàm res familiaris, qvæ domino & servo.

Si & à Choro imago placet, alia Coryphæi, alia Parastatæ virtus est: alia Civis eminentis in Republicâ; alia privati.

Aliquis tamen in Civitate Civis erit bonus, qvem & Virum esse Bonum dixeris: eâdem virtute Civem, & Virum: neq; tamen eandem ideò utriusq; virtutem esse.

Civis qvidem duplex: alter in Magistratu, & imperat; alter extra Magistratum, & paret; iste publicus est, hic privatus.

Qui in Magistratu, Bonus & Prudens sit necesse est, non potest autem bonus esse, nisi prudens sit.

Sed nónne ad omnes omnino Cives spectat, Viros esse Bonos?

Virtus, Bonorum est: hæc autem qui-

qvibusdam velut gradibus distincta; alia, perfectiorq́ue in Magistratu ac Principe, alia in plebe.

Hinc sanè aliter Regum liberi, aliter Civium institui solent: & illi quidem in re Eqvestri, ac Militari.

Non frustrà Euripedes:

Speciosa tolle, prome qvæ sunt imperI.

Qvasi qui regunt, arte qvâdam indigeant, ut benè regant; & peculiari potestas disciplinâ formetur, ut potestas sit.

Sed qvamvis Magistratum Bonum Boni Viri virtute censeas; non omnis tamen Civis Vir Bonus est; sed esse aliquis poterit.

Prorsùs, & qui imperat, & qui paret, Civis est; sed alia imperantis virtus, alia Civis.

Ita Iason ille Thessalus vitam suam privatam vocare *Esuritionem* solitus est: imperandi scilicet avidus

dus, parendi insuetus, imò impe-ritus.

Sed profectò pulchrum, & im-perare posse, & parêre; atq; adeò eadem utrobiq; videtur virtus esse, eadem Boni Civis & Viri.

Videtur: sed si virtus Boni Viri in imperando posita est, Boni Ci-vis in imperando, & parendo; non eadem utriusq; virtus erit, non eâ-dem laude digna.

Rursùs, Boni Viri virtus, si rectè calculum ponimus, non imperandi tantùm virtus est, sed & parendi: imò si rectè, non tàm parendi, qvàm imperandi.

At verò imperium duplex est, Herile, & Civile: illud in servos hoc in liberos & genere pares.

Herile circa res domesticas, & ad vitæ usum necessarias; quo qui præditus, imperabit qvæ facienda sunt,

ſunt, non faciet qvæ imperanda: ſatis eruditus, ſi imperare ſciat: nimiùm, ſi facere.

Heri eſt, herum eſſe, & miniſteria uti: vilem ſe facit, ſi miniſter fiat, & ſervitia ſubeat.

Diverſa autem ſervorum genera, & ſic opera ſunt.

Sunt Chernetæ, qui, ut nomen indicat, manibus victum qværunt: ſunt artifices omnes, qui illiberales, ac ſordidi.

Ex his autem nemo alibi olim, niſi penitus plebeiâ factione correptum eſſet imperium, Reipublicæ compos erat.

Qvid igitur? Ad operas arteſqꝫ ſordidas, an Vir Bonus, Civiſqꝫ Bonus manum extendet? Si animi duntaxat cauſsâ, ſordidæ eſſe deſinent: ſi lucri, ſordidus ipſe erit.

Agat hoc diſcrimine herus qvæ ſer-

ſervi ſunt, ſibi ſervus erit, manetq́ herus: non enim eo modo agit, quo ſervus.

Civile imperium, herili nobilius, & parendo addiſcitur.

Miles Centurionis ſui, & Tribuni, & Ducis juſſa jugi labore exſequi ſtudeat; bonus ipſe Centurio, Tribunus, Dux aliquando erit: gnavo obſequio ad glorioſum imperium veniet.

Prorsùs difficile eſt, ut qui nunquam paruerit, rectè imperio utatur.

Qvamvis autem alia imperii, alia obſequii virtus ſit; tamen & imperare poſſe, & obſequi, Boni Civis eſt, imò Boni Viri.

Alia omninò virtus, & perfectior in eo qui imperat, alia in eo qui paret, & imperfectior.

Annon Juſtitia prorsùs alia? alio enim

enim modo & gradu qui imperat justus est; alio, qui paret.

Annon Temperantia? omninò: qvemadmodùm alia viri, alia mulieris.

Eandem Fortitudo legem habet: qvippe vir fortis, si fortis, ut femina, non fortis, sed timidus erit.

Eandem Modestia: hæc enim si ad lingvam referatur, citiùs virum, quàm mulierem laudes.

Moderationem viri mulier usurpet, garrula tamen erit.

In familiâ qvoq; alia viri, alia mulieris cura est: illius acquirere, qvæ necessaria sunt; hujus conservare, qvæ acquisita.

Ac Civem redeamus: Unâ & solâ Prudentiâ qui imperat, Bonus est; Civis autem, ut benè imperet: Virtutes reliquæ tam illi qui paret, quàm qui imperat, communes sunt.

Qui

Qvi igitur paret, non quia Prudens eſt, paret; ſed quia bonam de imperante opinionem habet.

Etenim qui paret, tanquam tibiarum opifex eſt; qui imperat, ipſe qvodammodò tibicen.

Ille conficiendi obſequio ſuum canenti ingenium accommodat, qvod eſt parêre: hic inflandi arte modum fabricanti præſcribit, quod eſt imperare.

Satis iſta, ut ſcias, utrùm eadem Boni Viri ac Civis, an diverſa virtus ſit; imò qvomodò eadem, ac diverſa.

Sed an & opifices, operarii, mercenarii, qui nullius conſortes imperii ſunt, in numero Civium habendi?

Si enim habendi, quomodò & imperare poſſe, & parêre, propria Civis virtus erit? ſi non, quo

quo loco & nomine futuri sunt?

An quia peregrini, aut inquilini non sunt, Cives sunt?

Servi ac liberti, neq; peregrini, neq; inqvilini sunt; Cives tamen non sunt.

Iterum, Opifices, operarii, mercenarii, in Civitate utiles ac necessarii sunt, Cives ergò sunt.

Sed non omnes, sine qvibus constare Civitas nequit, Cives sunt.

Sine Pueris Civitas non est; non tamen Pueri, eâ propriè ratione qva Viri, Cives fiunt.

Cives, sed imperfecti; Cives, quia Viri aliquando futuri, imò quia sunt.

Olim qvinetiam opifices servis ubiq; aut peregrinis annumerati: sed & alibi hodiè.

Fieri enim non potest, ut in Civitate optimè constituta idem sit

opifex

opifex & Civis: idem enim non præſtat, qvod Civis.

Si tamen eſſe velis, virtus illa Civis, qvæ parendi pariter, & imperandi conditione continetur, non liberis tandem hominibus; ſed ſordidis, ac illiberalibus tribuetur.

Et hi quidem, ſi uni impendunt operam, ſervi; ſi unicuiq; , opifices, & operarii appellantur.

An diſtinctius? Qvemadmodum variæ Reipublicæ ſpecies ſunt, ita & Civium; ſed illorum maximè, qui non imperant, ſed parent; dubium, an Cives ſint.

Videas igitur, in aliquâ Republicâ opifices Cives eſſe, in aliquâ non.

Non eſſe in Ariſtocratiâ, quæ honores publicos ex virtute, & dignitate confert, Opifices enim, quia lucro dediti, ſtudium virtutis negligunt.

In

In Oligarchiâ verò mercenarios non esse Cives, esse opifices. Illi enim censu, qui in Magistratu spectatur, destituti semper sunt: hi non semper: arte enim, & opere ingentes interdum opes corradunt.

Thebis qvoq; lege olim cautum fuit, neqvis ullo dignus Magistratu esset, nisi totum ab arte & mercaturâ decennium abstinuisset.

In nonnullis contrà Rebuspublicis etiam peregrini jure adsciscuntur. Alibi, qui solâ matre Cive nati; alibi & nothi, spuriiq;.

Civium penuria hanc legis indulgentiam induxit: rursusq;, crescente numero, abrogavit.

Rejici enim paullatim incipiunt, qui è servo, vel servâ, deinde qui è matre tantùm Cive geniti: donec uterq; tandem parens Cives faciat, uterq; Civis.

Plu-

Plures ſic quidem ac diverſi Cives ſunt; ille verus, qui honorum in Republicâ, & Magiſtratuum capax eſt.

Unde apud Homerum Achilles conqveritur, ſe; quia neglectum ab Agamemnone, pro Græco qvodammodò non haberi.

Non poteſt enim, qvi à civili honore arcetur, alius eſſe, qvàm inquilinus, & tanquàm non Civis.

Sed ubi, qui veri cives non ſunt; inter veros commorantur, tanquàm ſint; arcano falli Reipublicæ ſolent, ut videantur, cùm non ſint; deſinant autem ad honores adſpirare.

Ex his igitur qvæ dicta ſunt, ſatis jam apparet, An idem & eâdem virtute, qui Vir Bonus eſt, Civis qvoq; Bonus cenſeatur.

Idem, ſed in quibusdam Rebuspublicis, in qvibusdam diverſus; idē, non tamen quicumq; So-

Solus ille, qui Civilis eſt, & penes qvem, aut ſolum, aut cum aliis administrandæ Reipublicæ poteſtas eſt.

Caput IV.

Origo Rerumpublicarum, & diverſitas.

A Civitate & Cive, ad Rempublicam ordo ſermonis ducit, à corpore ad animum.

Una hæc ſit, an plures ejus formæ, qværitur: ſi plures, qvot, & qvænam ſingulæ.

Reſpublica CIVITATIS ORDO EST, cùm in aliis Magiſtratibus, tum in eo maximè, penes quem maxima poteſtas eſt.

Maxima verò poteſtas, maximo Civitatis regendæ jure continetur: hoc jus, hęc poteſtas Reſpublica eſt

In Democratia penes populum;

in Oligarchiâ, penes paucos, in Monarchiâ penes unum: qvę diversæ formæ sunt, omnes Respublicæ.

Sed ad lucem faciet, partim caussam, finemq́; Civitatis, partim imperii inter homines discrimen exhibere.

Homo quidem, ut libro primo dictum, animal naturâ Civile est, qvasi ad vitæ societatem factus.

Hanc etiam, qui nullius ad vitam tolerandam subsidio indigus, appetit; non suus, qvamdiu solus est.

Sanè & natura, & utilitas, & ipsa vita ad vitæ com̃unionem ducunt.

Natura, qvæ manifesta est: utilitas, qvam nemo à se totam, alius ab alio capit: vita, qvam omnes appetunt, solâ autem societate putant conservari.

Videtur autem bonum aliquod in vita esse, vel ex eo, qvòd gratam

tam omnibus natura eam fecit.

Sanè Civilem multi societatem tuentur, ut vivant; nisi vivendo calamitosam reddant ipsam vitam.

Multi etiam infeliciter vivere malunt, qvám non vivere, & infra mortem fortunam collocant.

Sed imperii qvoq; discrimen est: neq; obscurum, quia anteà explicatum: Herile, & Patrium, utilitatis ratione distinctum.

Herile domini est in servum: ac tametsi eadem est utilitas heri & servi, qui uterq; naturâ est; tamen suâ herus caussâ servo imperat, non servi; illiusq; comoda suis metitur.

Non potest enim dominus esse, nisi servi sit Dominus; peritq; imperium, nisi sit cui imperes.

Imperium verò patrium, qvod & uxorium est, liberos, uxorem, omnemq; domum complectitur. Hoc

domesticum appellamus; utile patri quia liberis; marito, quia uxori & familiæ.

Pater igitur liberorum, maritus uxoris caussâ imperat, deinceps suâ: pater autem est, quia maritus.

Sic Medicus, ut alios curet, Medicus est; seipsum qvoque ex occasione, & si morbo urgeatur.

Eodem modo & palæstræ Rector, & navis gubernator, aliorum maximè in munere suo rationem habent, tum verò & sui.

Qui Palæstram regit, pueros exercet; sed interdum & se, aliorum vires, sed & suas confirmans: qui navem gubernat, alios vehit; sed & se, incolumitatis particeps, si portum, mari feliciter superato, occupabit.

Sanè potest ille, qui regit unus esse ex iis qui exercentur, qvamvis

regat: sed qui gubernat, unus semper nautarum est, quamvis gubernet.

Omninò pater familiam, tanquám Palæstram, aut navem habet: liberos exercet, ut boni sint; curat, ut salvi; ad se interim solatium & oblectationem trahit.

Civile igitur imperium, ut sit optimum, Patrio simillimum sit, necessum est, & ut publicâ magis qvám privatâ utilitate æstimetur.

Olim quidem hæc ratio erat, cùm æqvalitas, & sic æquitas in Republicâ servaretur.

Omnes vicissim ad imperium, sed sine lucro veniebant, alii ut regent, alii ut regerentur, limitato velut spatio; penes alios cura, penes alios securitas esset.

Iam verò qvæstus simplcissimum turbavit naturæ ordinem: & quia

in

in publico privatum qværitur, ex avaritiâ ambitio nata eſt.

Præeſſe omnes cupiunt, qvaſi ægri, niſi præſint; cùm reverà augeant morbum, qvando medelam qværunt.

Hinc manifeſtum eſt, Rempublicam bono vel malo imperio bonam vel malam fieri: in bona bonum ſpectari publicum, in mala negligi: bonam qvoq; ſimpliciter juſtam eſſe; malam injuſtam.

Mala autem & injuſta eſt, quia Herilis, & tanquàm ſervorum: Civilis enim liberorum duntaxat ſocietas eſt.

CAPUT V.

Rerumpublicarum diviſio in Rectas & Vitioſas.

PLURES Reipublicæ formæ ſunt, qvarum aliæ Rectæ, aliæ Vitioſæ: è Rectis autem Vitioſæ cognoſcuntur.

Pro

Pro summo hîc imperio Respublica sumitur, & imperium pro Republica.

Summum enim summa Civitatis potestas est: penes unum, paucos, plures.

Unus, pauci, plures, si publicæ utilitatis caussâ imperium exercent, Respublica bona est, & benè se habet, sin privatæ, vitiosa, & tanquàm ægrotet.

Qvomodò bona? ut omnes, qvos Civitas complectitur, Cives sint: non sunt autem, nisi publici boni participes sint: ideò enim publicum, & imperium appellatur.

Unius igitur imperium, in quo publici habetur ratio, regnum est: paucorum Aristocratia, in qua optimates: sic dicti, vel quia Optimi sunt, vel quia qvod optimum factu in Republica spectant, at plurium

um Respublica, communi duntaxat nomine.

Imperium hoc plurium, quia rarum omninò, sic nominari, & qvodammodò non nominari, satis erat.

Ut enim imperium sit bonum, virtute opus: sed unum aliquem, vel etiam paucos virtute excellere, facile est; multos, difficile.

Difficile, inquam, nisi virtutem Militarem intelligas, quæ alibi etiam multorum est, & Militarem Rempublicam facit.

Rectæ quidem hæ formæ sunt, sed virtutis defectu in Vitiosas deflectunt: Regnum in Tyrannidem, Aristocratia in Oligarchiam, Respublica in Democratiam, qvam populus constituit.

Tyrannis imperium Unius est, sed ad suam omnia utilitatem trahentis; Oligarchia Paucorum, ad uti-

utilitatem divitum; Democratia Populi, ad utilitatem pauperum, publicâ ubique neglecta.

Sed uberiore face opus, ubi post lucem caligo est, & diem nebulæ impediunt: uberiore sermone, ut quæ, & quales hæ sint formæ intelligatur.

Philosophi sanè, non usu aut actione tantúm, sed scientiâ & ratione rempublicam metientis munus est, & rem tradere, & veritatem insuper rei in ipsis causis contemplari.

Est igitur Tyrannis VNIVS IN REPVBLICA IMPERIVM, SED HERILE; ut domini in domo. Oligarchia verò PAVCORVM, SED DIVITVM: Democratia, PLVRIVM, SED PAVPERVM.

De divitiis & paupertate controversia hic oritur. Si enim plures illi divites sunt, an Democratia

erit? Si & pauci illi pauperes, an Aristocratia?

Sed hâc sanè ratione, neque Democratia erit, ubi multitudo est Domina; neque Aristocratia, ubi paucitas.

Si paucitatem tamen cum divitiis, cum paupertate multitudinem conjungi velis, & Oligarchiam esse, in quâ divites, sed pauci imperant; Democratiam, in quâ pauperes, sed plures; nova difficultas orietur.

Ad quam enim formam plurium, sed divitum imperium; ad quam item paucorum, sed pauperum referatur?

Nempe plures aut pauciores imperare, ad formam sive Democratiæ, sive Oligarchiæ constituendam, non necessarium, sed fortuitum videtur.

Pauci

Pauci profectò ubique divites, plures verò pauperes sunt; quamvis hoc agant omnes, ut divites sint nemo ut pauper.

Quid igitur? Neque paucitas, neque multitudo veræ, ac perpetuæ Rerumpublicarum notæ sunt; sed divitiæ, aut paupertas. Illæ enim, quia paucorum, Oligarchiam constituent; hæc, quia plurium, Democratiam.

Prorsùs, ubi divites imperium capessunt, sive plures, sive pauciores, Oligarchia est; ubi pauperes, quocumque etiam numero, Democratia.

Quia verò divites in Republicâ pauciores sunt, plures pauperes; nomina hæc Oligarchiæ, & Democratiæ vulgò obtinuêre.

Sint etiam pauci in Democratiâ divites; plures nihilominùs liberi

erunt

erunt: contendunt verò de imperio pauci, quia divites sunt; plures, quia liberi.

Si divites igitur superant, qui pauci sunt, Oligarchiam & faciunt & nominant: si liberi, qui plures, Democratiam.

CAPUT VI.

De Democratiâ, & Oligarchiâ.

SED Oligarchiæ, & Democratiæ certi quidam limites ac fines sunt: certum etiam jus, quo nituntur, qui pro alterutrâ contendunt.

Jus illud plenum utrobiq; aut perfectum non est; sed tanquàm perfectum allegatur.

Qui Democratiam asserunt, jus definiunt æqvalitate; qui Oligarchiam, inæqualitate.

Æqvalitas jus est, non omnibus, sed æqualibus; ut inæqualitas inæqvalibus. Malè

Malè ergò hîc utriq; statuunt; quia de se ipsi: in rebus enim qvisq; suis cœcus est, quia suarum amans.

Jus quidem partim in rebus spectatur, partim in personis: in jure autem rerum cùm statuunt, boni sunt judices: in personarum, mali.

Præterea, cum adferant utriq; quod ex parte justum est, ita adferunt, tanqvàm omninò justum.

Pauci qvippe, quia divitiis inæqvales, sive superiores sunt, simpliciter esse se inæqvales: multi, quia libertate æqvales, simpliciter qvoq; esse se æqvales arbitrantur

Sic & pauci, & multi à vero aberrant fine & scopo; quia umbram duntaxat juris, non ipsum seqvuntur.

Et pauci quidem, si opum caussâ in cœtum & Civitatem homines ostendant convenisse, Oligarchi-

am

am afferent: ac tantùm cuiq; juris erit, qvantum pecuniæ.

Hæc nimirum in commerciis quoq; ſocietatis ratio eſt: inæqvale lucrum, inæqvales ad lucrum collati nummi reddunt.

Iniqvum ſit, unam ſi contuleris minam, ſocius plures; parem ſive è ſorte, ſive è fœnore partem ſumere. Communis hic Mercurius, & æqvalis eſt.

Sed profectò aliter ſe Reſpublica habet: inſtituta, non tantùm, ut vivant homines; ſed ut benè beatèq;. Ut vivant verò, pecuniâ; ut benè, majori ſubſidio opus.

Etenim Cives ſi ſint omnes, qui vivunt, & ideò quia vivunt; ſervi & pecudes Cives qvoq; erunt.

Non ſervi, quia felicitatis, qvæ potiſſimùm hic ſpectatur, exſortes ſunt non pecudes, quia rationis.

Non

Non ergò ut vivant: ſed nec bellicæ ſocietatis cauſsâ, ut extra injuriam vivant; nec commerciorum, qvæ mutuum uſum habent.

Eo enim modo Tyrrheni, & Carthaginienſes, & qvicumq; inter ſe negotiantur, Civitatis unius Cives ſint.

Pacta quidem ſua & fœdera de rebus importandis, deq; injuriis mutuis comuni ope, atq; adeò bello, ſi opus, depellendis, uſurpant.

Sed non id ſatis: Magiſtratus enim non eosdem, ſed diverſos habent; alios Tyrrheni, alios Carthaginienſes.

Deinde, neq; Tyrrheni curant, qvales aut moribus, aut vitâ Carthaginienſes ſint: neq; Carthaginienſes, qvales Tyrrheni: juſti an injuſti, probi an improbi.

Unum utriq; ſpectant; ut extra

injuriam mutuam commercia, hominum caussâ; & homines, commerciorum habeantur.

At in Civitate, non qualem mente fingimus, sed usu constituimus, virtutis ac vitii habenda ratio; ut Boni sint, qvi Cives sunt; qui mali, ut boni fiant, proposito hisce præmio, illis suppicio.

Tolle hanc curam, Civitas nonnisi bellica qvædam societas erit, fœdere una, loco tantùm diversa; Cives enim ejusdem loci Cives sunt: socii, diversorum.

Leges qvoq; societatis nonnisi pacta qvædam sunt, quibus in officio fæderati utrimq; continentur: ut eleganter Lycophron vetus Sophista Legem *mutui juris sponsorem* appellavit.

Coalescunt igitur fœdere, non ut Boni sint, sed ut socii; nec vir-

virtutis caussâ, sed utilitatis.

Ne si loco quidem ac muro duæ conjungantur Civitates (ut Megara & Corinthus) unam facient. Megara enim Megara erit, & Corinthus Corinthus.

Qvod muri non possunt, ne matrimonia quidem efficient; qvæ præcipua tamen Civitatum vincula sunt, & vim à naturâ trahunt.

Sed ponamus esse homines sede vicinos, communione socios, lege à mutuâ injuriâ alienos, An Civitatem sede, comunione, lege facient.

Alius faber sit, alius agricola, alius sutor, alius aliam artem exerceat. Decem sint millia, ut sic dicam, solo commercio, aut auxilio Civium; Civitas tamen non erit.

Qvid ita? solo hæc vicinia commercio aut auxilio mutuo vicinia erit; & sic qvodammodò non erit.

Vivent nimirum juncti, tanquàm disjuncti: in suâ quisq; domo, tanquàm in suâ & aliâ Civitate: communi interim ope inter se tuti, quasi belli fœdere.

Ut hæc sunt, videmus neq; loco neq; communione loci Civitatem constitui: cùm satis non sit, aut tutos adversus injurias esse, qui simul degunt, aut mutuis etiam commerciis florere.

Non potest quidem sine istis Civitas esse: sed neq; qvando ista adsunt, aut qvia adsunt, Civitas est.

Finis enim Civitatis; ut benè inter se Cives feliciterq; vivant; & domibus familiisq; inter se nexi, quisq; sibi sufficiat.

Qvomodo? ut eundem incolant locum, & nuptiis atq; affinitatibus misceantur.

Ideò & sodalitates, & sacrificia,

&

& communia officia ſunt: quæ omnia ad benevolentiam mutuam faciunt, & tanquàm amicitiæ opera uſurpantur.

Finis igitur Civitatis eſt, benè honeſtèq; vivere: reliqua, Civitatis cauſsâ.

Ad ſummam, Civitas FAMILIARUM, & VICORUM SOCIETAS EST, VITAM PERFECTAM, ET ABUNDE INSTRUCTAM SUPPEDITANS.

Atq; hoc illud eſt, quod dicimus, *Benè beatq; vivere*, τὸ ζῆν ἐυδαιμόνως καὶ καλῶς.

Qvare non ut ſimul, ſed ut honeſtè homines degant, Civilis ſocietas inſtituta eſt.

Simul autem multis modis vivitur: honeſtè, unâ virtute, qvæ modos iſtos omnes comprehendit.

Hæc virtus Civilis eſt: quâ amplius

pliùs in Republicâ viri ſibi Boni vindicant, quàm qui vel libertate, vel divitiis nituntur.

Aliquem tamen utriq; juris ſpeciem adferunt: hì divitiis ſuis, illi libertate.

Caput VII.

De Imperio Democratico.

SED in controverſiam nihilominùs venit, penes quos potiſſimùm Civitatis imperium reſideat.

Aut enim penes Populum, aut Divites, aut Bonos, aut Unum qui vel omnium ſit optimus, Regis nomine; vel peſſimus, Tyranni.

Qvodcumq; ſtatueris, difficultatem deprehendas: in imperio vim, in jure injuriam.

Qvid enim, ſi plures iſti, qui pauperes ſunt, & quia pauperes, bona in vadant Divitum?

Si imperium ſpectes, iuſta invaſio

ſio videatur: & qvomodò tamen non injuſta?

Nulla profectò erit injuria, ſi hæc non eſt; qvæ cùm Civitatem corrumpit ac deſtruit, ſumma eſt.

Qvid enim? ut qui virtute præditus eſt, virtute non corrumpitur; ita nec jure Civitas, qvæ niſi jure conſtet, Civitas non eſt.

Sed ſi jure fit, quòd hîc à populo; jus ſane ipſum Civitatem deſtruet.

Manifeſtum igitur, non poſſe, qvod injuſtum eſt, ullâ imperantis populi lege juſtum fieri.

Præterea, ſi juſtum eſt, qvod plures, qvia pauperes, agunt; etiam qvod Tyrannus: eodem enim imperio, tanquàm jure agit; unus quod plures.

An igitur paucos ac Divites imperare æqvum eſt?

Qvid ſi eodem hi imperio iniqui

ſint

ſint, & bona invadant multitudinis ac rapiant?

Sanè ſi juſte agunt, cùm idem agunt; etiam plures illos pauperesq; juſte agere neceſſum eſt.

Sed profectò injuſte, & ſic vitioſè utriq;: non minùs enim hîc pauci divitesq;, quàm plures & pauperes, juris ratione deſtituti ſunt.

Fortaſſis igitur viris Bonis deferendum erit imperium, ut bonum ſit.

Hæreo: reliqui enim hâc ratione ſine honore Cives ſint, ſine Magiſtratu, quem honorem dicimus.

A paucis Bonis, ad Unum Optimum majori etiam vitio veniamus: Unus enim ab honore excludet omnes, & infeſtos Reipublicę faciet.

Qvid ſi tandem ab homine ad Legem transferatur imperium? homo enim affectibus obnoxius eſt, Lex non eſt.

Non

Non est fateor, Lex ut homo, sed tamen ab homine. In paucorum imperio favebit paucis adversus multos, in plurium, multis adversus paucos; quæ eadem mala sunt.

Pluribus verò, non paucis Bonisq; imperium deferendum esse, qvamvis difficile, non omninò tamen absurdum est.

Plures enim qvorum singuli Boni non sunt, si conveniant, paucis illis virtute poterunt potiores esse; non ut singuli, sed ut omnes: sapiunt enim ampliùs multi, quàm Unus; plures, quàm pauci.

Talis cœna collatitia, qvæ Symbolis constat, atq; adeò Symbola dicitur; lautior, quàm qvæ unius sumptu, ac privatim instructa.

Sanè in Republicâ, qvod singuli præstare nequeunt, solent universi: hic suam, alius suam virtu-

tem

tem adfert, omnes utiles ſunt.

Plures homines, tanquàm unus hîc homo; plura membra, tanquàm unum corpus: Mentes pariter, ac ſententiæ plures, ut una recta ſit; & qvæ recta, una fiat.

Idem in Muſicis Poëticisqꝫ compoſitionibus; de quibus multi meliùs & omnes, quàm unus aut pauci judicant: de parte enim operis ſinguli, de toto omnes.

Viri nihilominùs per ſe Boni, ſi cum ſingulis è multitudine ſinguli comparentur, excellentiores ſunt: qvemadmodum pulchri deformibus; res ingenioſè pictæ, veris.

Amplius hic ars, quàm natura poteſt: altera in unam conjungit imaginem, qvicquid in non uno homine altera exhibet.

Prorsùs vir unus, & per ſe Bonus, inſtar multorum eſt: habet ſolus

vir-

virtutes, qvas ſinguli, cùm plures ſunt: unus, quas omnes, qui populum conſtituunt.

Imò vir ille Bonus, tanquàm arte pictus eſt: in ſe colligit, quicquid in multis à naturâ adumbratur; totus pulchrior omnibus, quamvis in ſingulis membrum fortaſſis unum aliquod commendetur.

Sed in controverſiam venit, An in omni populo, cùm ſinguli, quod dictum eſt, Boni non ſint, ſint tamen univerſi?

Non in omni: brutis enim belluisq́ue hæc etiam felicitas contingeret, quæ hominum eſt: à belluis enim vix homines alibi differunt.

Sed ſi non in omni, in aliquo, ubi ratio magis, quàm ferocia eſt.

Aliquid alibi hominis brutum habet; vincitq́ue ſolertia, quæ bruti eſt, rationem, quæ hominis.

Sed qui ſolâ libertate Cives ſunt, divitiis, virtutibuſq; deſtituti, quo loco aut imperii gradu in Republicâ erunt?

Etenim ſi maximo, noxii; quia injuſti & imprudentes: ſi nullo, pariter timendi; quia hoſtes futuri.

Cautio igitur hæc erit, & modus; ut ad Conſilia duntaxat & Iudicia Civilia, de quibus actum eſt, admittantur: conſtituant cenſeantq; Magiſtratum, non gerant.

Hinc Solon, aliiq; Legum latores jus ſuffragii in creandis Magiſtratibus, judiciumque repetundarum in rationibus exigendis populo permiſêre.

Omnes hîc ſanè ſi conjuncti, ſatis quæ ex uſu ſunt publico, intelligunt; & melioribus mixti, aliquid etiam momenti adducunt.

Vt enim cibus non purus, à quo plus

plus fæcis eſt, puro, à quo plus nutrimenti, mixtus, magis mole ſuâ prodeſt: ita populus.

Plures etenim, quia numerum paucorum augent, aliquid in Conſiliis Iudiciisq; poſſunt; ſoli ac ſinguli, parum aut nihil.

Aliter fortaſſis alii, & populum, quia imperitum rejiciant; quia non exercitum, ſinant populum eſſe.

Non aliûs, inquiunt, eſt hominis judicare, Quis peritè, ac prudenter ægrum curet, quàm qui curat.

Hic Medicus eſt: ſed in omni arte ac re Medicum invenias: cùm ſcire ubique oporteat quæ facias, & facere quæ ſcias.

Imò Medicus hic inſtar Civis eſt: ſed rationem artis ſuæ reddere iis, qui ejuſdem ſunt artis, utriuſq; eſt.

Etenim, medetur, & qui ſcientiâ, & qui uſu inſtructus eſt, & qui

manum duntaxat adhibet, munere velut minister.

Triplici hoc discrimine omnia ferè sunt. Præcipiunt alii, alii sciunt, alii agunt; ut opifices, ut periti, ut Architecti.

Quemadmodum igitur non minùs usu peritis, quàm arte præditis judicium in Republica committi potest: ita & Electio.

Munus enim & opus scientis, est eligere; Geometræ Geometram, Gubernatoris Gubernatorem.

Quamvis etiam in operibus quibusdam & artibus, vel scire aliquid, vel præstare etiam imperiti videantur; minùs tamen quàm docti ac periti, qui in doctis & imperitis sic meritò præferuntur.

Hæc si ita sunt, potestas sive eligendi Magistratum, sive Rationes exigendi, à populo aliena est.

Con-

Concedenda tamen: in populo enim non planè rudi aut servili, quamvis singuli Reipublicæ muniis apti non sint; sunt tamen universi. Scient simul omnes, quod fortassis nescient singuli.

Deinde, de rebus quibusdam non auctor tantùm, sed & alii rectè judicant: satis enim est, opus intelligere, quam vis artem ignores.

De domo nónne meliùs sæpè pronunciabit pater familias, quàm faber? de gubernaculo Gubernator, quàm naupegus? de epulo conviva, quàm coquus?

Absurdum autem & iniquum dixeris, res gravissimas hominibus malis potiùs, quàm bonis committi.

In populo mali plerique: sed jura Suffragiorum, & Iudicia rationum exigendarum populi sunt, quæ non possunt, nisi gravissima haberi.

Sunt verò populi, quia Concio eſt; ſuffragiorum, & Rationum in Republica domina.

Concio autem homines & minoris cenſûs, & minoris ætatis admittit: quemadmodum Quæſtura, & Militiæ imperium, ſummǵue Magiſtratus, non niſi viros & divites.

Reſponſio facilis. Neque enim qui judicat, neque qui conſultat, Magiſtratum gerit; ſed Tribunal totum, Conſilium, Populus.

Tribunalis autem, Conſilii, Populi quiſque pars eſt, à toto diſtinctus, ut membra à corpore.

Quare non immeritò penes populum rerum maximarum cura eſt: maxime autem, quæ Iudiciis, Conſiliiſque continentur: & hic Populus eſt.

Totus hic etiam, quemadmodum

dum virtute, ita & censu antistat singulis, totus paucis, totus iis, qui amplissimos in Republica Magistratus gerunt.

Summa quæstionis ad Leges redit, quibus, sed justis & recte latis, jure imperium deferas.

Leges autem, quia vel dubiæ, vel imperfectę plerumq; vim suam ac plenitudinem à Magistratu accipient, sive unus sit qui præest, sive plures.

Quia igitur, quæ qualesque justę sint, & rectè latæ, satis adhuc examinatum non est, ambiguum pendet quicquid disputatur.

Ad summam, quales sunt Respublicæ, tales etiam Leges sint oportet, aut bonæ, aut malæ: bonarum bonæ, malarum malæ.

CAPUT VIII.

Diversa Reipublicæ bona. Magistratus creandi modus

OMNIUM Artium ac ſcientiarum finis, Bonum eſt: Politicę verò inter omnes eminentis, eminens Bonum.

Eminens, quia Ius & Iuſtitiam continet: Bonũ, quia publicè utile.

Ius autem, æquitate, tanquàm æqualitate quâdàm, cenſetur.

Quarum verò rerum hæc ſit æqualitas; quarum etiam inæqualitas, Quęſtio Civilis eſt.

Neque enim quocunq; excellere bono ſatis eſt, ut quis ad Magiſtratum jure adſpiret.

Pulchrum, aut Magnum eſſe, Bonum eſt: nemo tamen aut pulchritudine, aut magnitudine regendi ſibi prærogativam vindicet.

In

In tibicinibus quoque non Nobilitas generis, ſed præſtantia artis ſpectanda eſt : Melioréſque tibiæ peritiori debentur.

An clarius ? Nobilitas tibiâ præſtantior eſt: nemo tamen, quia Nobilis, nobiliores ſibi tibias arroget: nihil enim ad Tibicinem genus.

Quâ ratione manifeſtum eſt, non omnia inter ſe bona ; ſed ea tantùm quæ ejuſdem ſunt generis, rectè comparari.

Divitię igitur cum divitiis, forma cum formâ, virtus cum virtute.

Virtus enim cum forma aut divitiis non rectè; quamvis in alio plus formæ aut divitiarum, in alio minus virtutis ſit.

In Republica eadem æqualitatis & inæqualitatis ratio, & ad bonum Reipublicæ refertur: quo uno, velut momento, dignitates omnes librantur.

Frustra hîc cum tardo contendat celer, ac frustà palæstræ honorem ad Curiam referas, athletæ ad Civem.

Civitatis ratio in iis consistit, quæ Civitatis sunt: de his contendunt, qui & Cives sunt, & hoc nomen nobilitate ac divitiis merentur.

Nobilitas servos excludit, divitiæ pauperes. Rempublicam enim nec servi constituunt, cùm libertate opus sit; nec juvant pauperes, cùm tributo ac censu.

Cives igitur ut libertate, & censu Cives sunt; ita Iustitiâ & Virtute Militari indigent, ut liberi ac censu instructi sint, ac Reipublicæ idonei

Quasi dicam, non posse Civitatem sine libertate & censu esse; sine Iustitiâ & Virtute militari non posse benè esse.

Sed

Sed iniquum planè; ut qui unâ aliquâ re excellunt, in omnibus velint æquales esse, aut qui unâ inferiores, in omnibus inæquales habeantur.

Quare, solâ Nobilitate ad honores niti, aut solis divitiis, abusus & abortus est.

Suo aliquo nituntur jure Divites, freti agris, qui propriè Reipublicæ sunt; & fide in rebus contrahendis, quasi sic quoque magis Cives sint.

Suo Nobiles, freti honore, quo pollent, & virtute, quam sibi genere vindicant: prorsus tanquàm quia benè nati, & quasi Nobilitas virtus generis sit.

Suo etiam Boni, quia virtutem, & sic Iustitiam adferunt, quæ anima Civitatis, sanitas, & summa est, & omne bonum, omnesq; virtutes continet. Deni-

Denique, & suo Inferiores, sed numero; cùm plures sint, quasi pares Divitibus, Nobilibus, Bonis, quia plures.

Iam verò si & Divites, & Nobiles, & Boni, & Plures in eâdem sint Civitate, quæ ratio & prærogativa imperii & Magistratûs?

Manifesta, ac dubia. Manifesta, è rerum publicarum formis, anteà distinctis: nam alibi Divitiæ, alibi Nobilitas obtinet, alibi Virtus, alibi Multitudo.

Dubia, si eodem hi quatuor ordines tempore, eodemq; loco concurrunt.

Si Bonos spectes, pauci erunt: sed an pauci Regimini pares? an potiùs eo esse numero debent, ut Civitati constituendæ sufficiant?

Si Divites Nobilesq; nullo videntur

dentur jure affectare imperium, quia Divites Nobilesque sunt.

Item, si Bonus unus virtute præstet reliquis Bonis, unus hic quoque reliquis volet imperare: unius enim virtutis imperium est.

Si & Vnus opibus, aut genere, unus hic quoque, tanquàm virtute nitetur.

Denique, si plures sibi imperium vindicent, qui paucis potentiores sunt: etiam unus aliquis, aut plures uno, pauciores tamen cæteris, si potentiores sint, vindicabunt.

Sed levia ista atque invalida ad imperium obtinendum rationum momenta sunt. Sive Divites, sive Nobiles ambiant, sive Boni, sive Plures.

Nam adversus Divites, Nobiles, & Bonos ipsos justâ interdum contendant ratione plures, qui & meliores

liores potentioresq́ esse possunt; non ut singuli, sed ut universi, cùm ut corpus, non ut membra conside-rantur.

Hæc cùm ita se habeant, Quæstio oritur, An in Legibus ferendis ratio Bonorum potiùs, an Multitudinis habenda sit: omnes enim nónne Cives sunt? & nónne Civium caussâ Leges?

Quod Iustum hîc, id sequi fas est: Iustum autem, quod cum publicâ Civitatis & Civium utilitate conjunctum.

Est autem Civis communiter, QVI NVNC IMPERII, NVNC OBSEQVII PARTICEPS, ILLIC PUBLICAM HIC PRIVATAM PERSONAM GERIT.

In singulis autem Rebuspublicis, alius atque alius; ut aliç Divitię sunt, & publicè aut privatim ser-

viunt,

viunt, alia Nobilitas, alia Virtus.

In optimo verò ſtatu, qui & poteſt & vult cùm parere, tum imperare, prout vitæ ratio, ad virtutis normam exigenda, præſcribit.

CAPUT IX.

Virtus in eminente Cive expenſa. Oſtraciſmus.

SIQVIS verò tam excellenti ſit virtute & prudentiâ Civili, ut reliquos unus longè ſuperet, ſingulari habendus erit loco.

Cùm ſupra Civem ſit, ne Partem quidem Civitatis faciet.

Ratione virtutis, præmia ſint par eſt: ſed major virtute, ſi infra præmium ſit, quid niſi injuriâ mulctatur?

Hic talis inter homines velut Deus eſt: exemptus Legibus, quæ in homines, & in genere potentiaq; pares, ſcribuntur.

Imò

Imò hic talis, ipse sibi Lex est: suâ enim sponte quæ facienda sunt facit, & ostendit ad se Legem non pertinere.

Si quis igitur cogat exlegem, aut Civili formulæ subjiciat / Ridiculus sit.

Dignus Leonum responso, quod leporibus, ut Antisthenes fabulatur, æqualitatem exigentibus, datum.

Non dicere, sed ostendere potentiam, pro responso fuit.

Hâc de causâ Ostracismum alibi utilem Reipublicæ populus censuit; inæqualitati maximè infestus.

Cives enim Civium modum sive divitiis, sive clientelis, sive aliâ civili potentiâ excedentes, ad præfinitum tempus è Civitate jubentur excedere.

Ita Herculem Argonautæ, quia præstan-

præſtantiorem, à ſocietate itineris arcuerunt.

Hinc neq; Periandri conſilium Thraſybulo, Tyrannidem molienti datum, reprehenſioni prorsùs obnoxium.

Interpellatus ab apparitore miſſo, cùm eminentes Segetum ariſtas virgulâ tacitus decuteret, tollendos è medio præſtantiores civium, non dixit, ſed docuit, & velut oſtendit.

Res ſanè injuſta; ſed Tyrannidi utilis, imò & Oligarchiæ & Democratiæ, quæ aliquid Tyrannidis habent.

Huc igitur Oſtraciſmus facit, quia ad æqualitatem. Nempe meliores deminuere, & in exilium propellere, Oſtraciſmus eſt.

Simile in Vrbes & populos devictos, ut vires quæ timeri poſſent, accîderentur.

Samii,

Samii, & Chii, demùm & Lesbii in exemplum veniunt, ab Atheniensibus etjam contra fidem & pacta, attenuati ac depressi.

Sic Medi, Babylonii, aliique à Persarum Rege: ferociores fortè, quia ipsi aliquando imperassent.

Omnes verò hic Respublicæ considerandæ sunt, tam Rectæ, qvàm Vitiosæ: hæ, quæ privatum spectant Bonum; illæ, quæ publicum.

Sanè, & in artibus scientiisq; id obtinet; quasi Rerumpublicarum imaginem videas.

Non sinet pictor pedem hominis, quamvis pulcherrimum, justo majorem esse; neque Naupegus puppim navis aut proram, quamvis elegantem; neque Præfectus Chori vocem canentis intentiorem, quamvis periti.

Et quis igitur Monarchis vetet, quod Civitatibus publicæ ſecuritatis cauſsâ conceſſum eſt?

Oſtraciſmus interim adversùs eminentiores jure quodam Civili niti videtur, utiliterq; uſurpari.

Hic tamen ſi morbus eſt, hoc ſi remedium; carere morbo præſtet, quam curari: præſtet ſic ordinare principio civitatem, ne remedio opus ſit.

Nunc ſi opus, alio opus: molliori ac meliori, quam hactenus vitiosè ac ſeditiosè adhiberi ſolet.

In Rebuſpublicis Vitioſis utile ac juſtum remedium Oſtraciſmus videatur: in Rectis injuſtum.

In Rectis verò, & optimè conſtitutis, ſiquis unus, non fortunæ bonis, ſed animi inter omnes emineat: quid ſtatuendum?

Obnoxium illum imperio alio-

rum

rum, & exulem esse, virtus non patiatur.

Idem enim sit, ac si Iovem ipsum, non fato tantum, sed & lege Dî minorum gentium premant, & se inferiorem habeant, aut Parem

Quid igitur? Vni præ omnibùs bono ut omnes boni libenter pareant, Natura quasi jubet: & Regem jubet in Republicâ Perpetuum esse, quem dignum sceptro eximia Virtus facit.

CAPUT X.

De Monarchiâ, antiquißimâ Reipublicæ forma.

NVNC de Regno, quæ una è formis Reipublicæ perfectis: dici & explicari digna, quia Vnius est.

Ab Vno verò, an aliâ ratione regenda sit Civitas, ut benè regatur, quæri

quæri ſolet. Item ſi ab Vno, an id utile quibuſdam, quibuſdã inutile.

Vt hinc ordiar: Non unum Regni genus eſt, nec idem in omnibus imperii modus.

Laconicum primum eſt, *Iuſtum* maximè & legitimum; non enim omnia Regi permiſſa: niſi foris & belli tempore: ſummus, quando armatus.

Plena quoq; majeſtas à Sacrorum curâ: & à rebus divinis aliquid humanis divini accedebat.

Non tam Reges, quàm ſupremi & perpetui belli Duces erant.

Nullum vitæ neciſq; jus, niſi in caſtris, & antiquo more, quem Homerus notat.

Agamemnonem in concionibus ſolitum convitia patienter ferre, in prœliis acriter & ſuâ quoq; manu, punire.

Atque

Atque ejuſmodi Regnum partim à Natalium pendebat, partim à Suffragiorum jure.

Sequitur Barbaricum, ut ſummâ poteſtate & imperio: ita Tyrannidis imagine & exemplo.

Legitimum tamen, quia ad hæredes, tanquàm patrimonium tranſmiſſum.

Facile quoq; quia cùm Barbari Græcis, & Aſiatici Europæis naturâ ſuâ in ſervitutem proniores, Herile imperium facilius ferunt.

Tyrannidem quidem hîc agnoſco; ſed tutam, & quaſi aliquid Regni habeat, non vi paratam, ſed jure acceptam.

Iam verò cuſtodia, non Tyrannica ſed Regia: Reges enim armis ſuis ipſi tuentur Cives, Tyrannos peregrini.

Et

Et ſicuti Reges volentibus imperant; ita Tyranni invitis: & vel omninò à Civibus, vel contra Cives cuſtodiam habent.

Eſt & tertium, Æſymneticum, Græcorum Veterum, Tyrannicum quidem, ſed ſuffragiis conſtitutum: diſtinctum à Barbarico, quia ad heredes non tranſiens.

Barbari quoq; imperium uſurpant perpetuum, Æſymnetæ tempore & rerum occaſione limitatum.

Ita à Mitylenæis adverſus Antimenidem & Alcæum, exulum duces, electus Pittacus: & à Poëta Sapiens virulento carmine perſtrictus.

Hoc igitur imperii genus, quâ Herile, Tyrannicum erat; quia optivum, & in volentes, Regium.

Quartum denique & ultimum, Heroicum, Heroicis temporibus, partim

partim ex fucessione, partim in volentes & legitimè acceptum.

Origo beneficium fuit, Sceptrum gratia, poteſtas, ſalus.

Tanti erat, palantes aliquando ſine legib9 homines congregare, vel agris alere, vel novâ aliquâ arte, vel etiam armis juvare.

Ejuſmodi Reges ſuo ingenio ac virtute Magni erant: Reges, & Militiæ ſimul, atque Sacrorum ſummi Præfecti.

Quin & cauſſas cognoſcebant alii quidem jurati, alii non. Iurati Sceptro, quod attollere ſoliti, ut & Reges ſe, & Iuſtos teſtarentur.

Priſcis ſic quidem temporibus & urbes & populi, domi foriſq; in poteſtate erant Regum, & Reges plus quàm Reges.

Cùm deinde & hi de imperio aliquid remitterent, & illi plurimum

mum sibi vindicarent ; summa potestas , solâ Sacrorum curâ stetit ; quasi reliqua.

Sicubi tamen superest , nomen magis quàm Regnum est; quoniam extra fines Regni bellico imperio res Militaris sustinetur.

CAPUT XI.

De pleno Regno, & an ab Vno regi expediat.

REGNI igitur genera quatuor : Heroicum, Barbaricum, Æsymneticum, Laconicum.

Heroicum, certis limitatum rebus, & in volentes. Rex enim Strategus quoque erat, & Iudex , & Sacrorum Præsul.

Barbaricum, Herile, & tamen legitimum. Nempe quantum pati nolles, generi defertur.

Æsymneticum, Tyrannis; sed ut to-

lerari poſſit, à populo delatum.

Laconicum, nil niſi belli Prætura perpetua, ad heredes quoque ſe extendens.

Quinctum verò accedit, Vnius in omnes, & patria quâdam, imò Oeconomicâ poteſtate.

Vt enim Oeconomia familiæ quoddam Regnum eſt. ita Reignum, gentis familiæq; unius, & non unius, Oeconomia.

Sed hæc quinq; genera ad duo præcipuè reducuntur; ad Oeconomicum, & Laconicum: reliqua enim his duobus immixta.

Vel enim majori omninò ſunt poteſtate, & Oeconomicum alterum; vel minori, & Laconicum alterum poſſis apellare.

Duo igitur ſunt, quæ in Quæſtionem veniunt: Vtrùm expediat Reipublicæ, Vnum eſſe, vel non eſſe

Belli

Belli Ducem, qui imperet; deinde, esse perpetuum, vel non esse; sive familię, sive virtutis habitâ ratione

Hoc de perpetuo Belli Duce ad naturæ, legem magis spectat, quàm Reipublicæ: in omni enim Republicâ quia bellum est, aut esse potest; etiam Belli Dux necessarius est.

Difficultas superest: Vtiliúsne sit ab Vno, sed Optimo, quem Regem dicimus; an ab optimis Legibus regi.

Qui Regem præferunt, nihil putant à Legibus, quod singulos spectat decîdi: communia enim complectuntur.

In reliquis etjam Artibus sola præcepta, quæ instar Legum sunt, sequi, stultum est; cùm & suam sibi partem locus, tempus, homines postulent.

Ægyptiorum decretum quis non

culpet? *Medicus ante diem quartum noxios ægro humores ne moveat: si moverit, reus secuturi periculi erit.*

Ægri imaginem Respublica habet: ipsa ægra, & in majus casura morbi malum, solis si Legibus ac tabulis gubernetur.

Multa nimirum in singulis considerandi sunt: complecti autem Leges non possunt singula, quæ infinita sunt, nec mederi singulis, quæ quotidie nova sunt, & tanquàm morbi subnascuntur.

Sed in hâc bilance suâ utrique pondera & sacomata sũt, Legi, & Regi.

Legem censeas sine Rege esse posse, Regem sine Lege non posse.

Regem omnibus præstò esse; vivam, inquam, ac spirantem velut Legem.

Contrà verò, hominem esse, & sic perturbationibus animi obnoxium

xium: Legem verò immotam, & divinæ quasi mentis ac naturæ.

Quid tamen est? Fieri posse, ut qui affectibus præditus est, prudentiùs de singulis statuat, quàm qui destitutus: hic Bonus est.

Accedit ratio rebus, & affectus velut subsidia quædam & instrumenta imperii habet: hæc Boni prærogativa est.

Quocirca, neque omnia Regi, neque omnia Legi deferenda sunt. Supplebit etiam Rex Vnus, quod Legi non uni deest.

Vnus, inquam, nisi omnes potiùs Vnius instar, & ab omnibus potiùs Leges suppleantur, ut Leges sint

Ita usu venit: conveniunt omnes, ut causas cognoscant, ut deliberēt, ut judicent; & de rebus singulis

Atq; hi omnes, ut singuli quoq; sunt, cum uno collati Rege, minùs

fortè

fortè idonei: magis, ut omnes.

Epulum vide, & Civitatem intelliges: Publicum enim & collativum longè luculentius est, quâm privatũ, & unius sumptibus instructum.

Meliùs sic etiam de multis Multitudo judicat, quàm Vnus, quamvis multorum loco sit.

Imò non tam facilè corruptioni Multitudo cedit, quia Multitudo.

Hanc in aqua naturam vides: rarior putrescere faciliùs solet, & infici; uberior conservatur.

Iam verò Vnus, qui sumus est, sive irâ, sive alio affectu oppressus, omnem judicii integritatem amittit.

Quid plures? non irascuntur & errant simul omnes, quia plures.

Plures, sed boni, & qui à Lege nón recedant, nisi ubi ipsa deficiat.

Esto etiam, Omnes verè bonos non esse, ubi plures: aliqui tamen erunt, inter plures. Sed

Sed hi pauci, hi boni; quia Vno illo plures sunt, difficiliùs succumbent corruptioni, quàm Vnus.

An fortassis faciliùs quoque seditioni, quàm Vnus? Nequaquam: omnes enim Viri sunt boni, ut ille Vnus.

Quare si plurium, sed bonorum imperium Aristocratia est, Vnius Monarchia, sive Regnum; aptior sanè Civitatibus Aristocratia erit, quàm Regnum.

Aptior, inquam, sive adstricta legibus, sive soluta; si tamen pauci illi (quod rarum est) boni omnes sint, & mentis bonæ.

Hinc etiam apud Antiquos, Regnum ferè ubique obtinebat; quia difficile erat, plures excellenti Virtute, reperire.

Imò, sicut parvæ principio Civitates erant; ita aptiores quoque ab Vno regi.

Præte-

Prætereà, Populi creabant sibi Reges, quibus beneficio obstricti erant: Beneficium enim bonorum Virorum opus ac munus est.

Cùm deinde ad Virtutem plures assurgerent, fastidire rursùs Reges Populus cœpit, tutiorem ratus statum, qui communis & æqualis esset: atq; hâc origine Respublicæ constitutæ.

Prævaluit mox privatum è publico lucrum, & quia Virtus post nummos fuit, Oligarchia subnata.

Hinc ad Tyrannidem itum: è Tyrannide rursus, quasi Imperii quodam circulo ad Rempublicam, sive Democratiam: isthîc paucis ab uno oppressis, hîc uno à multis.

Etenim paullatim ad pauciores redactâ potestate, cùm avaritiæ studio tenerētur, vires populo additæ, qui in surgēs, tandem sibi Rēpublicam vindicavit. Quid

Quid etiam? postquàm multiplicato populo crevêre Civitates, vix alius esse status potuit, quàm qui à populo regeretur.

Si tamen ab Vno optimum, quid de Liberis Vnius statuendum? An succedent? Sed quid si degeneres dissimiléśq; ? pernitiosi erunt.

Rex, inquies, quia bonus, Regnum, quod in potestate sua habet, non relinquet liberis, quos sciet esse malos.

Sed id profectò & supra fidem Virtutis est, & supra naturam patris, quæ virutem vincit.

Quæstio demum oritur, An qui regnaturus, armatâ se manu muniet, ut tutus sit, & ad officium obstrepentes compellat: quomodò enim aliter regnet?

Et si enim, legitimè Regnum nactus sit, ac nihil arbitrio suo præter

leges faciat; indiget tamen ſubſidio, ut leges tueatur.

Sed nulla de hoc quidem Rege difficultas eſt. Nam ut munitus ſit, æquiſſimum eſt: ita tamen ut uno aut pluribus potentior ſit, multitudine totâ inferior.

In hunc finem, & hoc modo Æſymnetis, aut Tyrannis cuſtodes olim dati: item Dionyſio, ſed petenti, à Syracuſanis.

CAPUT XII.

Regnum pleniſſimum, & ſummæ poteſtatis.

IN Scenam nunc Politicam Rex alter veniat, qui plenâ poteſtate Rex eſt, & pro ſua gerit voluntate omnia.

Laconicus enim ille, & qui Legi obnoxius, diſtinctam Reip. formam non facit; ſed ubiq; invenitur.

Vbique

Vbique enim, tam in Democratia, quàm in Aristocratia, unus esse belli Dux potest, cui & summum & perpetuum imperium deferatur.

Alibi quoque & populus, & Optimates penes Vnum aliqem supremam sinunt regiminis potestatem residere, salvo interim & Populi jure, & Optimatum.

Epidamni nimirum, & Opunte hujusmodi Regnum est, si Regnum tamen: minori etjam imperio Opunte, quàm Epidamni.

Summum Regnum examine dignum est, quo in omnes Vnus plenam potestatem arbitratu suo exercet.

Existimant nonnulli, alienam à naturâ hanc Vnius potestatem esse, quando omnes jure ac conditione pares sunt, ingenui, non servi.

Sequitur enim, ut qui pares sunt naturâ,

naturâ, pares etiam jure ac dignitate ex naturæ lege censeantur.

Nempe, ut non sine noxa corpora hominum, cùm inæqualia sunt, æquali nutrimento cultuq; utantur: ita nec Cives honoribus.

Sed inæqualia tribuere æqualibus iniquum planè est.

Postulat igitur ratio, ut qui æquales sunt, æquo jure & imperent & pareant, ipsâ, ut ita dicam, vicissitudine æquales.

Vicissitudo autem hîc jus est, jus ordo, ordo lex: & vivitur ex lege, ubi ordo vicissitudinem facit.

Optabilius sic quidem, penes Legem, quam penes Vnum aliquem Civium imperium esse.

Et lex ipsa exigit, ut si multi & pares sint, vicissim imperent; vetat, ne si Vnus, & supra legem sit, multis imperet, qui pares sunt.

Hâc

Hâc etjam ratione, cùm necessum sit aliquos imperare: haud aliter quàm Custodes ac Ministri Legum constituendi sunt, ut rectè imperent.

Sine Imperio quidem ac Magistratu esse Civitas nequit: sed Vnum aliquem præesse, cùm omnes æquales sunt Vni, injustum sit.

At enim non facilè decîdere homo poterit, quod non potuit Lex. Quia ut de singulis Lex non statuit; ita nec *homo*. Singula enim sub scientiam non cadunt.

Sed quid? præivît Lex, supplebit ex æquitate Magistratus, quæ omissa sunt; imò corriget, quæ fortassis non rectè scripta ac constituta sunt.

Dicunt etiam, & fortassis non malè: Legem velut mentem esse, sed puram & tranquillam; hominem

nem affectibus obnoxium, & à recto in transversum aberrare.

Ideoque siquis Legi committat imperium, adjungi Deum videri; siquis Homini, belluam.

Ira sanè & Cupiditas velut belluæ sunt; & Viri Boni, quia homines, ab homine sæpè abeunt: sinistro enim solent animi impetu à lineâ Rationis declinare.

Si Lex verò mens est, sine *Ira*, sine Cupiditate est; imò sine caligine cæca, ut maximè videat.

Similitudo igitur à Medicinâ desumpta: *Per Medicum potiùs, quàm regulas curari morbos*, plus captionis, quàm veri habet.

Alia enim medentis, alia imperantis ratio est. *Ille* nihil in curatione gratiæ aut amori concedit; sed mercede suâ contentus est: hic concedit, quia ad potestatem affectus adfert. Si

Si fortè Medicum æger ſuſpicetur ab inimicis lucro corruptum eſſe, non eſt dubium, quin è regulis artis curari malit.

Medicus quidem ſi ægrotet, non artem ipſe ſibi, ſed alium Medicum adhibet; & Magiſtri Palæſtræ, alios Magiſtros, cùm ipſi exercentur.

Quaſi rectè non judicent, quia de ſe rebuſq; ſuis judicant, & amore ſui impediantur.

Omninò, qui Ius quærit, modum quærit, quo rectè judicet. Hic autem modus, Lex eſt, velut unica juſti norma.

At verò Leges vel moribus receptæ, vel tabulis ſcriptæ. Et illæ quidem majoris auctoritatis, deq; rebus majoribus.

Sed homo, qui Legibus præeſt, non ſcriptis, ſed receptis ſtabilior erit. Tutiùs enim ſequetur, quod

multi

multi ſtatuerunt rectum eſſe, quàm quod Vnus.

Iam verò Vnum videre multa, & intelligere, difficile eſt.

Vt igitur Vnus regat, multi ſimul, ſed minori auctoritate regant fas eſt, & conſtituantur ab Vno.

Si Multi verò, cur non potiùs ab initio, & loco Vnius?

Prætereà, Si, ut diximus, Vir Bonus, quia melior aliis Bonis, imperio dignus eſt; duo ſanè Boni uno erunt meliores.

Huc illud Diomedis apud Homerum, comitem ſibi poſtulantis, Σύντε δύ' ἐρχομένω, *Congreßi duo*: & Agamemnonis votum, Τοιοῦτοι δέκα μοι συμφραδμονες, *Sint mihi conſilio bis tales quinque!*

Sunt etiam alibi hodiè hoc munere Magiſtratus; ut tanquàm judices de iis duntaxat decernant, quæ ambigua,

ambigua, aut obſcura Lex reliquit?

Quia igitur quædam compre-henſa ſunt Legibus, quædam non ſunt; dubitare licet, ac ſciſcitari; Legem optimam, an *Virum* optimum præſtet in Republicâ ſequi:

De rebus enim ſingularibus, quæ in deliberationem veniunt, Lex ſtatuere non poteſt: homo poteſt.

Sed ſolus, an plures? Omnis enim Magiſtratus, Legis præſcriptum ſequens, rectè judicabit.

Et quis dixerit, Vnum aliquem hominem binis oculîs auribuſque plus videre & audire, & binis manibus pedibuſq; plus præſtare, quàm multi multis?

Præſertim, cùm Reges paſsim Miniſtros ſibi hodiè, in quibus plures habeant oculos & aures, manus & pedes, aſſumant?

Hi

Hi Amici sunt, & in societatem Regni, quia Amici; in partem laborum, quia socii, assumuntur.

Amici, quia Regi & Regno addicti: pares quoque similésque, quia Amici.

Proinde, si digni Amicitiâ, quia pares; digni quoque administratione, quia Amici.

Atque hæc sunt, qvæ jus Regium videntur oppugnare: in quibusdam vera, in quibusdam falsa.

Nonnulli enim homines ita naturâ facti; ut sub Herili bene agant imperio; alii, ut sub Regio; alii, ut sub Civili.

Tyrannis verò gravis & iniqua est; qvia contra naturam: ut & reliquæ formæ, qvæ ab optimis deflectunt.

Et hæ qvidem nullum jus noverunt; qvippe injustæ: nullum etiam publi-

publicum bonum: qvisqꝫ enim spectat suum.

Qvæ summa est, dixeris, neqꝫ justum, neqꝫ utile esse, ut unus aliquis ex omnibus & æqvalibus Dominus sit omnium.

Nec esse, sive nullæ sint Leges, & Unus ille sit pro Lege; sive sint, & è præscripto gerantur omnia.

Nec referre, an Unus ille sit bonus, ac præsit bonis, an malus, & præsit malis: qvamvis etiam virtute inter alios bonos emineat; nisi certo qvodam modo.

Modus hic intelligi neqvit, nisi priùs, qvinam Regio subjici imperio apti sint, qvinam Optimatum, qvinam Civili, explicetur.

Regio qvidem, qvi Unius sive viri, sive etiam familiæ præstantioris ferre amant imperium, sed virtutis, & sic boni imperii,

qvod

qvod virtutem seqvitur, caussâ.

Optimatum, qvi non Unius, sed plurium: soliti scilicet liberorum & ingenuorum more gubernari.

Civili, deniq; qvi naturâ suâ bellicosi, ut imperii capaces, ita obsequii patientes, sed è Lege, qvæ divitibus, & dignis imperium defert.

Cùm igitur, vel familia tota, vel Unus aliquis virtute suâ imperium præ cæteris meretur; hanc Regiam esse, hunc Regem esse convenit, jure, ratione, naturâ.

Jure, qvod Auctores Conditoresq; Rerumpublicarum in omni statu agnoscunt, Præstantiæ deferentes imperium; qvamvis diversè eam definiant.

Ratione, qvæ Præstantem virum non sinit vel è medio tolli, vel exilio pelli, vel Ostracismo ablegari, vel aliorum imperio subjectum esse.

Naturâ

Naturâ, qvæ partem præferri toti recuſat: Unius autem virtus viri, qvâ reliqvos ſuperat, velut totum eſt; partes, qvicquid in reliqvis commendetur.

Supereſt igitur, ut Uni, & ſic Eminenti, morem reliqui gerant: Unus autem reliquis Unus ſit & imperet.

Hæc de Regno, cujus differentiæ explicatæ: item, An utile Civitatibus, ab Uno regi, qvibus, & qvomodò.

Qvia verò tres duntaxat Rectę Rerumpublicarum formæ ſunt; optima ea, qvæ ab optimis gubernatur.

Sed optimi, præſtanti virtute optimi ſunt: vel Unus, ſive familia una; vel multitudo, parêre, & præeſſe nata, ad vitam maximè optandam omnia dirigens.

Dictum qvoq; Eandem Viri Boni

&

& Civis in Civitate benè conſtitutâ Virtutem eſſe, & neceſſariò eſſe.

Ac proinde, eâdam ratione, qvâ qvis Vir efficitur Bonus, univerſam qvoq; Rempublicam, tam Ariſtocraticam, qvám Regiam fieri ac conſtitui.

Eandem igitur eſſe diſciplinam & inſtitutionem VIRI & CIVIS BONI; qvi privatim ſe, publicè ſive Rempublicam, ſive Regnum moderetur.

Seqvitur, ut de Optima deinceps Republicâ acturus, oſtendam pariter, qvomodò rectè, & naturæ congruenter inſtituatur.

LIBRI TERTII
FINIS.

CENSURA.

QVæ *Philoſophus de* Doctrinâ Civili *tribus primis libris fuſè ſcripſit, hæc intra has Lineas Clariſsimus Vir* ERYCIUS PUTEANUS *dilucido & eleganti ſtylo comprehendit, ex qvibus utilitatem multiplicem haurire licebit, poſtqvam in lucem iverint. Datum Lovanii die 2. Septembris, 1645.*

JACOBUS PONTANUS
S. Theol. Doctor, Apoſtolicus & Regius Librorum Cenſor.